

Q. K. 388, 19

(X 1883905)

DE
ELECTIONE
CAROLI V.

Imperatoris

HISTORIA
Cum aliis hujus argumenti scriptis;

NEC NON

*De abdicatione Imperij, secessu,
obitu & laudibus*

EJUSDEM.

EX

VARIIS

superioris ævi scriptoribus

SELECTA.



HELMESTADII,
Typis & sumtibus HENNINGI MULLERI,

CIO IO C LXVI.

Hoc libello continentur:

- Phil. Melanchthonis de Electione & coronatione Caroli V. Imp. Historia, primum sub nomine Georgij Sabinii edita.*
- De Ejusdem Caroli electione Excerpta ex*
Fr. Guicciardini Histor. l. XIII.
Arnoldi Ferroni de rebus gestis Gallor. l. V.
Erasmi Roterod. l. XIII. ep. 4.
Iac. Aug. Thuani Histor. l. I.
Polyd. Vergilij Anglic. Hist. l. XXVII.
- S. Rom. Imperij Principum Electorum Rescriptum datum Legato Rom. Pontificis.*
- Caroli Hisp. R. & Archid. Austr. Mandatum procuratorium super sua electione acceptanda & prestanda.*
- Electi Rom. Regis & Imp. Pacta seu Articuli obligationis prestanda Principibus Electoribus Francofurti in electione & Aquisgrani in coronatione.*
- Caroli V. Imp. Aug. Juramentum post impositam sibi coronam Regiam Aquisgranensem.*
- Collatio Caroli V. Imp. & Francisci Gall. R. ex Franc. Belcarij Comment. rerum Gallic. l. XVI.*
- De abdicatione Imperij à Carolo V. facta, ejus in Hispaniam discessu, obitu & virtutibus, è Iac. Aug. Thuani Hist. l. XVI. & XXI.*
- Imperatorum Austriacorum à Friderico III. Imp. & Regum ex eadem familia Hispanorum series.*



NOBILISSIMO VIRO

DN. OTTONI GROTE THOMÆ F.

In Fackenfeld & Wedesbuttel

Hæreditario

S. P. D.

CHRISTIANUS EBERHART.



Aroli V. Austriaci, in Rom. Impera-
torem Electi historiam & Elogia è
variorum monumentis excerpta
editaque, Tibi Nobilissime Domi-
ne, ut offeram, causis adducor tum veteribus tum
novis. Innumera Generosi Parentis tui b. m.
in me merita; necessitudo, quæ tecum à prima æ-
tate tua intercessit, beneficijs tuis plurimis dein-
de aucta arctiorque reddita. Tum spei meæ tuæ-
que industriæ fructus jam ad perfectam mature-
scentes, patriæ bono, virtutem; felix tuus è bel-
gica, Germanica atque Gallica peregrinatione
reditus, suo quodam iure me id poscunt. Illa, quo
gratum, ista, ut lætum rebus tuis animum publi-

ce et-

ce etiam profitear: utraque ut cultum deinceps
virtutibus ac loco tuo debitum, hoc veluti pigno-
re, tibi deferam. Exiguum quidem istud & im-
par forte tot officijs, ut in quo nihil meæ indu-
striæ vel ingenij, præter unam seligendi exscri-
bendique operam: sed nec sic tibi ingratum fore,
saltem quod ab amico tibi que dedito animo pro-
fectum scias, certo sum persuasus. Enimvero, ut
hoc addam, non, ut cernis equidem, nudum aut
solitarium Imperatorem nostrum, sed, cui fini
hæc curaveram, Exercitationum quarundam ve-
luti satellitio stipatum producere erat animus. At
mutare consilium & istas seorsim emittere, cum
alia coegere, tum typographi, officina præter
spem decedentis, importuna flagitatio. Interea,
quidquid hoc vel alieni est munusculi, benigno
vultu ut accipias tuoq; me porro favore digneris,
etiam atque etiam rogo. Vale, Nobilissime Domi-
ne, atque altera, quam meditaris, peregrinatione
feliciter confecta, incolumis, ita Deus faxit,
ad nos, Tuo, Nostro, Publico bono redi. Dab.
Helmst. Cal. Sextil. An. **MDCLX.**



PHIL. MELANTHONIS
 DE
 ELECTIONE ET CORO-
 NATIONE CAROLI V. CÆSARIS
 HISTORIA.

Cum Maximilianus exemptus esset rebus huma-
 nis, & magno in luctu esset Germania: exteri
 Reges quasi custode publicæ pacis à statione
 remoto, in tanta occasione rei bene gerendæ
 non cessandum sibi esse ducebant. Alibi Selymus Turca-
 rum Imperator, pacato regno in Syria & Ægypto: magna
 felicitate adjecit animum ad Pannonias occupandas: eamq;
 in rem omni cura & studio incumberebat. Alibi Gallus Medi-
 olanum nemine jam adversante tenens: & elatus clarissima
 victoria, cum triennio ante ingentes copias Helvetiorum
 profligasset: habere se occasionem optatam arbitrabatur de-
 eus ac nomen Imperij ad Gallos transferendi, & recuperan-
 di regni Neapolitani; quod aditum in Italiam, & eam partem
 teneret, quæ quasi domicilium fuisset Imperatorum.

Itaque repente novas res moliri cœpit: conscribit exer-
 citus, foedera cum Burgundis dissolvit, facit nova cum ijs,
 quorum sibi profuturam amicitiam existimabat. Et in-
 primis Pontificem Leonem X. sibi adungere studet, ut
 petitionem Imperij adjuvet. Flagitat etiam sibi titulum

A

Im-

Imperatoris Constantinopolitani decerni. Nam ut persuaderet, ex Republica esse, ut Imperium sibi committeretur: pollicetur se moturum esse Turcicum bellum, ad quod gerendum maxime profutura esset conjunctio Italiae, Galliae & Germaniae. Neque haec Romae tantum aguntur: invitantur & Veneti ad societatem consilii. Mittuntur Legati in Germaniam, petituri Imperium apud Electores. Interea sollicitantur & civitates aliquae in Germania, ut Gallicis exercitibus receptum praebant: quae videbantur arces belli futurae, si armis possessio Imperij tuenda esset.

Tali tempore maxime conspici potuit, quantum ad tranquillitatem & salutem orbis terrarum conducat Electorum in Germania consilium. Cum enim impenderet ingens rerum mutatio, sapientia, constantia, concordia, & fide Electorum, dignitas Imperij & forma Republicae conservata est. Statim enim Archiepiscopus Moguntinus Albertus Marchio Brandenburgensis Cardinalis titulo divi Chrysogoni, intellecta morte Maximiliani, cum ipsius munus sit convocare Electores, significat eis interitum Imperatoris, & Francofordiam eos ad deliberationem de successore, & ad electionem vocat.

Quos etsi per sese movebat officij ratio, ut electionem maturare studerent: tamen cum in tantis periculis quae videbant impendere, magis etiam properandum esse intelligerent: ad dictum diem omnes Francofordiam ad Moenum conveniunt: videlicet Albertus Cardinalis Archiepiscopus Moguntinus: Hermannus Comes de Vida Archiepiscopus Coloniensis: Richardus Archiepiscopus Trevirensis: Lassa Dominus de Sternbergo, Ludovici Regis Boemiae Legatus: Ludovicus Comes Palatinus, Dux Bavariae: Fridericus

Dux

Dux Saxoniae: Ioachimus I. Marchio Brandeburgensis.

Velut omen fuit faustae electionis, quod nemo Electorum aberat: sed convenerant omnes, ut communi consilio atque animo rem tantam agerent, quae ad salutem totius orbis terrarum, & ad universam posteritatem pertineret. Ac die Junij decimo septimo, anni millesimi, quingentesimi, decimi noni, in aede Divi Bartholomaei Francofordiae, ut auspicia horum consiliorum essent felicia, sacrum de Spiritu Sancto celebratum est: in quo ad aram stantes Electores singuli trabeati, inspectante Ecclesia publice iusjurandum religiose dederunt: se bona fide servaturos esse decreta de electione, quae in aurea Bulla (sic enim Imperij constitutionem vocant) sancita sunt. Et articuli ea de re in aurea Bulla publice lecti sunt.

Mox ab ara in sacrarium interius eius templi, ubi veteri more solet electio fieri, Principes Electores ingressi sunt. Ibi Moguntinus ut deliberationem auspicaretur, hanc ad Collegas orationem habuit. Ut in publico sacro vota fecimus, ut Deus gubernet consilia nostra de re omnium maxima, videlicet de eligendo Imperatore: ita nunc, postquam auspicato ad hanc difficilissimam deliberationem inchoandam, inter ipsas aras congressi sumus, iterum precor Deum optimum Maximum, ut mentes nostras regat, ad retinendam inter nos concordiam: & flectat, ad eligendum Principem salutare universo Imperio Romano, ac praecipue utile Ecclesiae Christianae.

Nec dubito, quin vos omnes magna sollicitudine & pietate, assiduis votis idem à Deo petatis: Nulla enim difficilior deliberatio de ulla re humana incidere potest, quam de Imperatore eligendo. Nam caeteri Reges, non sustinens hoc ingens onus externa regna propugnandi. Noster Imperator eligitur ut sit Dux publici consilij inter omnes Reges: ut propugnet Italiam: ut tranquillitatem Ecclesiae praecipue custodiat, don

Itaque cum tantarum rerum cura Imperatori commissa sit, non ut in cæteris regnis, nascuntur successores: sed gravissimo consilio constitutum est, ut iudicio atque autoritate nostri collegij quæratur successor, qui molem tantarum rerum sustinere possit.

E quidem agnosco huic tam difficili deliberationi, nullam humanam sapientiam parem esse: sed me in his curis præcipue hæc consolatio erigit, quod cum Imperia divinitus constituta sint, non dubito, & nostrum collegium à Deo gubernari: qui, si nos legibus nostris obtemperabimus, si pietatem, fidem & diligentiam, quantum prospici hominum mentibus potest, præstiterimus; aspiraturus est consilijs nostris, ut electio sit fausta ac felix patriæ, ac universo nomini Christiano.

Deinde ea quæ in tali senatu & summo consilio orbis terrarum requiri possunt, video in vobis esse: rerum usum, sapientiam, pietatem erga Deum, fidem erga rempublicam, studium tranquillitatis communis. Cumq; præcipue nobis concordia opus sit declarastis ea in re aliqua ex parte voluntatem vestrâ, quod sine contumacia omnes in tempore convenistis. Quâ obrië vobis publico nomine gratias ago. Et modo iusiurandû dedistis, cum in cæteris articulis obtemperaturos vos esse legibus: tum vero in eo qui ad retinendam communē tranquillitatem præcipue pertinet, ut illi qui plurimum suffragijs rex creatus & renunciatus fuerit, omnes obediant.

Quare satis provisum est iurejurando, ne qua publica in Imperio discordia oriatur. Hic aditus ad causam nostram, bonam mihi spem facit de cæteris quæ restant agenda. Sed tamen ut magis muniatur concordia, duxi initio vos cohortandos esse: ut priusquam in suffragiû itur, inter nos re disputata, demus operam, ut omnium suffragia consentiât. Multa in hac natione bella civilia, plena crudelitatis & perniciose toti orbi terrarum,

rum,

rum, & antequam concilium Electorum constitutum est & postea, propter successionem aut suffragiorum dissimilitudinem, in electione exarserunt.

Ludovico pio filius Lotharius conatus est regnum eripere. Capto patre postea Lotharius confligit cum fratribus, tam atrociter, ut in eo prælio Francorum vires adeo afflictæ sint, ut postea decus Imperij tueri non potuerint. Saxones deinde rerum potiti sunt, quos exercuerunt asperæ seditiones. Adversus Henricum Primum, Dux Bavarix Arnolphus bellum movit: quod tamen moderatione Henrici cito sedatum est. Sequens bellum quod Lotharingus movit adversus Otthonem, ut Francico nomini Imperium restitueret, annos duravit sex: estque Germania foede igni ac ferro vastata, donec ad extremum in acie interfectus Lotharingus pertinaciæ suæ poenas dedit.

Otthonis Secundi tempore, Galli armis conati sunt ad se transferre imperium. Otthoni tertio eripere conati sunt imperium, Henricus Bavarus, & quidam Romæ Crescentius. Hæc certamina ut caveret ad posteritatem Ottho Tertius, gravissimo consilio & comprobante Romano pontifice, collegiū Electorum instituit: cujus collegij sapientia & fide, jam annos quingentos Imperij possessio in hac natione retinetur. Quod non modo Germanico nomini gloriosum est, sed etiam toti Europæ multis modis salutare fuit. Sæpe enim nostri Imperatores ex Italia barbaros depulerunt, & perniciosas mutationes magna virtute prohibuerunt. Sed tamen aliquoties contentio de regno gravissime afflixit Germaniam atque Italiam. Adversus Henricum Quartum, virum fortem & impigrū, multi principes in Germania atq; Italia conspirarunt: qui Rodolpho Duci Saxonum & Svevorum, tribuerunt nomen Regiū. In hoc bello cum essent duæ fortissimæ nationes conjunctæ

etæ, Saxonica & Svevica: nec posset Henricus sine acerrimis dimicationibus dignitatem suã propugnare: ita ab utrisq; dilacerata est patria, nunquam ut postea pristinam majestatem recuperaverit imperiũ nostrũ. Dum enim civilibus bellis domi conflictamur, interea Galli bonam Belgici partẽ & Sequanos invaserunt. Deniq; multis ubiq; præfidiis atq; ornamentis amissis, postea nec cæteris nationibus opem ferre potuimus ut antea, nec Regibus alijs formidabiles fuimus, ut olim.

Potest & inde aestimari, quam funestum & luctuosum bellum patriæ fuerit, quod in eo non solum multi prophani principes interfecti sunt, Rodolphus Dux Sveviæ, Ottho Dux Saxonie, & Gerardus Lotharij pater, Egbertus Marchio Misnensis: sed etiam trucidati sunt aliquot Episcopi, quos religio adversus bellorum injurias defendere debebat. Sunt enim occisi Episcopi Magdeburgensis, & Vuormatiensis.

Ad hæc mala accessit & perturbatio religionũ, & Schisma. Secutum est aliud bellum, ortum ex dissimilitudine suffragiorum in electione, inter Conradum Svevum, & Lotharium Saxonem: Quod, postquam multæ urbes in Imperio vicaptæ sunt, autoritate divi Bernhardi sedatũ est. Exarsit multo crudelius bellum inter Philippum & Otthonem Quartum, propter Electorum discordiam. Aliquot prælijs victus Ottho fugit ex Germania in Angliam. Postea adversus Fridericum Secundum à quibusdam electus est Henricus Landgravius Thuringiæ, qui in obsidione Ulmæ ex vulnere perijt. Secutum est interregnum, quod duravit annos ferme octodecim: in quo nonnulli Electores accersiverunt in Germaniam ad Imperium Richardum, fratrem Regis Britannie. Interea cum sine rege esset Resp. non solum defecerunt in Italia civitates, sed etiam in contemptum venit apud omnes Germanicã natio.

Aliquanto post dissensio in electione Ludovici Bavari, & Fride-

Friderici Austriaci, bellum ingens excitavit: quorum alter Bohemos, alter Hungarica auxilia in Germaniam adduxit. Ita utrinque à Barbaris Germania crudeliter vastata est. Deinde adversus Ludovicum, electus est Carolus Lucelburgensis. Neque hæc electio habuit omnium suffragia: & statim nonnulli ex Electoribus expediverunt Eduardum Angliæ Regem. Alij deinde comitem Suarzburgensem. Toties inciderunt certamina in hac natione de successione, quibus & domi majestas imperij graviter concussa est & interea foris neglecta est Respublica. Dum enim occupati sumus civilibus bellis, aut fracti domesticis cladibus, non potuimus reprimere Turcas: quorum potentia nemine obsistente, quantum creverit, videtis.

Tot igitur exemplis tristissimis moniti, pertinacissime teneri concordiam debemus: præsertim hoc tempore, cum Turcæ nobis bellum denunciant: cōminantur se non modo imperium, sed libertatem & religionem erepturos esse. Et si autem jurejurando vestro prospectum est, ne qua seditio oriatur, etiam si suffragia nō consentirent: tamen vos ipsi intelligitis, plurimum referre ut prorsus consentiant suffragia. Nam quamlibet levis dissensio, tamen multas in rebus pub. deliberationes impedit: & sæpe horribiles motus parit. Nec desunt, qui captant omnes occasiones distrahendæ Germaniæ in diversas partes. Multum autem ad illos deterrendos profuturus est consensus noster. Plurimum etiam afferet momenti, ad voluntates principum ac populi Germaniæ ad nostram sententiam adjungendas.

Cogitate omnium Regum ac Principum oculos in nos esse conjectos: qui non modo de eo, quisquis electus fuerit: sed de nobis etiam judicium facient: an gravitatem tantam præstiterimus, quanta in hoc summo consilio orbis terrarum requiri-

tur;

cur: an saluti orbis terrarum consulere voluerimus, aut privatis cupiditatibus morem gesserimus. Et nos quidem non modo hominum judicia, sed multo magis Deum testem atque arbitrum harum nostrarum cogitationem vereri decet: qui cum imperia constituerit ad defensionem pacis, juris, & religionum, nequaquam vult ea discordiis non necessarijs labefactari, aut dissipari.

Nec dubium est cultum Deo gratissimum esse, studium concordiae publicae: praesertim quae ad imperiorum conservationem pertinet. Quam opinionem, etsi omnibus hominibus oportuit infixam esse: tamen viros principes ita amplecti decet, ut in publicis consiliis nunquam ab ea deflectant: ut omnes deliberationes atque actiones referant ad communem concordiam tetinendam. Ego quidem mori malim, quam autor esse publicae inter Electores discordiae. Quare sententiam meam re disputata libenter cum vestra conjungam, ut consentientibus suffragiis, id quod optimum erit, Deo adjuvante, statuamus.

Velim igitur prius nos de universa republica colloqui, quam in suffragia eatur. Est enim disputandum etiam quarum rerum curam Imperatorem maxime suscipere velimus; quas Imperij partes sanari initio necesse sit: quomodo constituenda judicia in Imperio, & pax munienda sit. Et sunt alia multa de quibus expedit nostras opiniones conferre. Locus imposuit mihi necessitatem dicendi, & inchoandae hujus deliberationis. Ceterum meum iudicium non antefero: vosque pro excellenti sapientia & gravitate vestra scio venire huc paratos & meditados.

Quare sententias vestras audire maxime cupio: vosque rogo, ut orationem meam profectam ab animo & amate Republicae, & de vobis amate & honorifice sentientie: boni consulatis. Etsi autem fortasse non necessaria fuit haec cohortatio:

Novi

Novi enim voluntates vestras, ac sæpe comperi vos concordia publicæ cupidissimos esse, & multa nos foedera jungunt, cognatio, societas religionis, & hujus nostri amplissimi Collegij: tamen huic temporì videbatur apta hæc oratio. Nunc enim toti orbi terrarum maxime opus est nostro consensu.

Hæc cum dixisset Moguntinus, congressi reliqui Electores, breviter colloquuntur: & cum adhortationem de retinenda concordia in tanto publico periculo gratissimam sibi fuisse ostendunt: tum vero sapientiam Moguntini laudant, quod & dux publici consensus esset, & monstraret viam, qua dissensio caveretur: seq; omnes profitentur assentiri dictæ à Moguntino sententiæ, & summo studio daturus operam, ne suffragia discrepent. Hæc jubent communi nomine omnium dici à Joachimo Primo, Marchione, cui libenter has dicendi partes tribuebant cæteri principes, propter excellentem eloquentiam. Erat enim tum quidem ea virtus & gravitas principum, ut sine invidia singulis concederentur suæ laudes: nec parum ad communem salutem tum quidem profuit, quod adhuc privatim magna inter se benevolentia devincti erant, quam & reipublicæ causa diligenter tuebantur. Et quia veteri Germanorum more sentiebant bonafide amicitias colendas esse. Et erat ea magnitudo animi non solum, ut privatas similtas nullas afferendas esse ad publica consilia ducerent: sed etiam ut nullas admitterent in animos adversus cognatos, præsertim in republica conjunctos. Sed ab hac virtute quantum degeneraverit sequens ætas, non libet hoc loco commemorare. Videmus enim in multis magnis rebus publicis consilia privatis odijs impediri. Sed redeo ad Historiam.

Cum Joachimus Marchio, Moguntini frater, dixisset communi omnium nomine, assentiri omnes dictæ sententiæ, ut prorogato die suffragationis, postridie ad deliberationem con-

B

veni-

veniant: interea venerant Moguntiam legati Caroli Archiducis Austriae & Burgundiae, & Regis Hispaniae: Matthaeus Episcopus Gurcensis Cardinalis: Fridericus Comes Palatinus Dux Bavariae: Casimirus Marchio Brandenburgensis: Henricus Comes Nassaensis: Et his adjuncti consiliarii aliquot.

Hi nomine Regis Caroli modeste petebant, ut ejus in electione ratio haberetur: quoniam & indole ad virtutem egregia esset, & religionem ac justitiam summo studio coleret: Natura vero à crudelitate, & obscœnis libidinibus abhorreret: & jam specimen dedisset industriæ, fortitudinis, & felicitatis suæ in occupandis Hispaniæ regnis. Cumque de ejus ingenio spes esset optima: pollicebantur potentiam, qua cæteris principibus antecelleret, futuram esse præsidio Germaniæ, & universo nomini Christiano. Admonebant etiam Electores, à Maximiliano Imperatore nepotem ipsis commendatum esse: cujus memoria ipsis, propter excellentem ejus virtutem & sapientiam, gratissima esset. Tanta autem in Maximiliano gravitas fuit, tantus amor patriæ, & communis salutis: ut nisi probasset ingenium nepotis, & judicasset profuturam orbi terrarum electionem ipsius, non fuerit eum commendaturus Electoribus. Hæc cum legati Austriaci Electoribus significassent, postea Moguntiae cum summa modestia eventum electionis expectabant: nulla præsidia comparabant, ne quid contra Electorum libertatem in interregno moliri viderentur. Erant & Confluentiae Gallici Legati, qui privatim ingentibus promissis, animos non Electorum tantum, sed etiam aliorum principum, & civitatum conciliare Regi Francisco conabantur: disputabantque, nihil contra leges facturos Electores, si Francorum Regem designarent Imperatorem: quod Francorum Reges à Germanica stirpe orti sint.

Addebant olim tantam fuisse conjunctionem utriusque gentis

ris Gallicæ & Germanicæ, non ut distractæ in duo regna fuerint, sed velut unum regnum sub iisdem signis, sub eodem rege Francorum, sociâ arma gesserint: domi iisdem legibus, eodem jure, gubernatæ sint: eamq; conjunctionem primum gloriosam fuisse Germanico nomini, deinde etiam salutarem universæ Europæ ac præcipue Ecclesiæ. Nam Imperij decus in initio partum utriusque nationis virtute, postea Germanos, quasi usucapione retentum possedisse.

Quantum vero profuerit conjunctio Galliæ & Germaniæ in initio, inde æstimari posse, quod cum Italianam alibi Saraceni popularentur, alibi vero Longobardi non contenti finibus suis, Romam ipsam arcem & caput Christiani nominis in Europa, in barbaricam servitutem redigere conarentur: diu quassatæ Italiæ hæc una res, videlicet conjunctio Galliæ & Germaniæ, optatam pacem attulerit: quæ duravit annos fere centum, quoad familia Pipini & Caroli Imperium tenuit. Defensas esse, aut pacatas à nobis communiter, & alias Regiones in Europa: Saracenos ex Hispania effusos in Galliam, fuisse repressos: liberatam Germaniam terrore Hunnorum.

Sed si unquam, nunc maxime optandam esse conjunctionem Galliæ & Germaniæ, ad reprimendam barbariem Turcicam. Tenere autem Regem Franciscum etiam bonam Italiæ partem: & habere studia reliquorum Italicorum. Semper Gallicos Reges Romanam sedem singulari pietate veneratos esse. Quare & erga Regem Franciscum & Gallicum nomen, optimam esse hoc tempore Romani pontificis voluntatem: nec vero aliam ullam ostendi posse expeditam rationem belli adversus Turcicam nationem gerendi, quam si communibus opibus Italiæ, Galliæ & Germaniæ res suscipiatur. Has regiones propter opportunitatem locorum, propter copias, & exercitus etiam antea visas esse in primis idoneas, ad hoc bellum gerendum Nam

& Sigismundi Imperatoris tempore, exercitum contractum fuisse, ex Italis, Gallis & Germanis. Adhæc quod classem ita instructam habeat Gallia, ut si Veneta classis adjuncta fuerit, non dubium sit, mari toto, quæ velint littora, quas oras, insulas, portus, tuto petere & oppugnare possent.

Porro si tanto bello dux quærendus esset, Rempublicam ipsam flagitaturam esse Regem Franciscum: Quia non solum autoritate reliquos principes anteiret, sed etiam usu & peritia rei militaris. Nec deesse ejus virtuti felicitatem. Quantas enim res gessisset, dum recuperaret Insubriam, omnibus notum esse: quanta felicitate maximas hostium copias profligasset: quoties toto triennio dimicasset acie. In his rebus cum felicitas ejus conspici potuerit: tum vero virtus, magnitudo consilij atque animi, laborum tolerantia, diligentia in omnibus rebus providendis, quæ ad Imperatoris curam pertinent, tanta fuerit, ut peritissimorum confessione nemo ei ducum hoc tempore anteferendus sit.

Etenim quod hoc bellum non tantum auspicijs ipsius, sed etiam consilij & ductu gestum fuerit: ipse loca castris ceperit, intentus fuerit in occasiones pugnandi: providerit ut non hostis arbitrio, sed suo dimicaret: rationem inierit, quarum arcium oppugnatio tentanda esset: ubi hostes elici posset. Quia vero in Imperatoribus, non minus felicitas, quam fortitudo spectanda sit: hætenus Deum favisse inceptis Regis Francisci: & in spem omnes adduci, propter cæteras ejus virtutes hanc felicitatem diuturnam fore.

At nihil esse, quod Germanici principes, accersito Rege Gallia metuant veteri suæ libertati: cum & Rex sua voluntate, leges & instituta majorum, libenter observet: & Electoribus permittitur, ut conditiones ferant, quas eum in accipiendo Imperio servare velint. Quia Rex non aliam ob causam petat Imperium,

perium, nisi quod totinomini Christiano, hanc Gallia Germaniæq; conjunctionem, maxime profuturam esse iudicet. Quæ conjunctio non esset diuturna & stabilis futura, si alterutri nationi libertas eriperetur. Eamque ob rem promittebatur, Regem non collocaturum esse Gallica præsidia in Germania: sed Germanicos exercitus suo stipendio conducturum esse, quibus de consilio Principum, Duces Germanici, quorum virtus, & fides probata esset, præficerentur.

Ostendebatur etiam quas commoditates allatura paulatim esset principibus hæc nationum conjunctio, cum Rex etiam Gallicis ditionibus donaturus esset Germaniæ principes: Sicut olim sub Carolo Magno, aliqui Principes tenuissent amplios principatus, in utroque regno.

Hæc fere summa fuit Gallicæ orationis: cui erat adjecta adhortatio, ut Electores non amitterent hanc occasionem conjungendæ Germaniæ cum Gallia: quod ea res Germanis esset futura gloriosa, qui hac virium accessione facta, multo essent futuri ad res maximas gerendas instructiores: Et quod ad defensionem Europæ, & ad Christiani orbis tranquillitatem nihil hac conjunctione posset utilius cogitari ac reperiri. Recitatis Legatorum literis, breviter responderunt Electores: gratam sibi esse benevolentiam Regum erga nomen Germanicum: sed de electione se Deo adjuvante optima fide facturos esse id, quod postularent leges, & instituta majorum, & religio jurisjurandi, quod dedissent.

Miserat autem Gallus paulo ante Legatos in Helvetiam, petieratque indici conventum: quod pro veteri amicitia, quæ Helvetiis fuit cum Gallico regno, quædam ad utilitatem Europæ pertinentia, ad ipsos referre cuperet.

Indicto conventu, exposuerant Legati, Regem Franciscum re deliberata cum summis principibus Christianis: adhortatione &

ne etiam quorundam, quorum præcipua fit autoritas, & voluntas erga Rempublicam Christianam optima, constituisse petere ab Electoribus, ut designetur Romanus Imperator: Commemorant nihil vi, nihil per seditionem facturum esse, contra Germanorum libertatem: sed Electorum suffragijs, & auctoritati pontificiæ rem permissurum esse. Sed ad hoc consilium, initio adjungendos duxisse Helvetios, ut si Electorum suffragijs fuerit electus, ipsi non adversentur: sed potius sint in partibus, & hanc electionem una defendant. Quod ut faciant, non modo vetus cum Gallis amicitia, mutuis utriusque gentis beneficijs confirmata, eos hortetur: sed etiam salus totius Christiani orbis. Quia hæc petitio præcipue hanc ob causam instituta sit, quod ad pacem in Europa constituendam, & ad depellendos Turcas, nihil cogitari accommodatius possit, quam conjunctio Italiæ, Galliæ & Germaniæ: quæ si procederet, bellum terra marique adversus Turcas Rex moturus esset. Est autem Helvetiæ situs opportunus, primum ad Italiæ tranquillitatem defendendam: deinde ad expeditiones ad vicina Italiæ loca suscipiendas.

Itaq; ferebant Regem, adjuncturum esse Gallico equitatu, Helveticum peditem: idq; robur ac nervos Christiani exercitus fore. Non enim dubitabat Rex libenter venturos in societatem periculi generosos Helvetiorum spiritus: quia nulla ætate justius, aut magis necessarium bellum unquam gestum sit: Depellendus est à nostris cervicibus hostis, qui non de gloria Imperii, ut veteres Monarchæ, bella gerit: sed ut religionem Christianam deleat: ut universam disciplinam civilem, ut jura matrimoniorum tollat: ut ad supra nostras conjuges ac liberos rapiat. Liberandæ sunt hac miserrima servitute gentes vicinæ, quæ nobiscum religione, & alijs multis foederibus antea conjunctæ fuerunt. Hæ sunt causæ graves & justæ viris fortibus

bus arma capiendi. Quare non dubitare se aiebant, quin Helvetii hujus militiæ decus, maxime expeterent. Cum autē electio illa his tantis rebus gerendis opportunitatē allatura esset, debere Helvetios quoque suis studiis, ac significatione voluntatis, eam adjuvare. Postremo pollicebantur, Regem, si eligeretur, gentis Helveticæ libertatem nulla in re labefacturum esse, sed potius confirmaturum, & multa additurum esse commoda atque ornamenta, si Helvetiorum virtus, & fortitudo non esset communi salutis nominis Christiani defutura.

Hæc cum Gallici Legati commemorassent, quanquam privatim multos ingenti pecunia & novis largitionibus obligatos tenebant, tamen honesti viri delecti ex civitatibus, modestè responderunt: se non impedituros libertatem principum Electorum, nec significatione aliqua voluntatis suæ, aut terrore ullo, præbituros occasionem turbandæ tranquillitatis Germaniæ quam agnoscerent patriam. Deinde cū nominatim Helvetico foedere exceperint Romanam Ecclesiam, & Romanum Imperium: profitebantur se nihil contra Romani Imperij Majestatem facturos esse. Pertinet autem ad Majestatem, libertas principum Electorum. Ita Gallis dimissis, scribunt Helvetij, literas ad singulos Electores, in quibus commemorant, se scire quam vehementer ambiat Gallus Imperium, & quod multorum animos ea de re solliciter. Narrant etiam quæ apud ipsos petiverit, quidque ipsi responderint. Deinde exponunt, se defugere omnia consilia, quæ videantur esse contra Germaniæ tranquillitatem: Et negant se ulla in re libertatem principum Electorum impedituros esse.

Adjiciunt dehortationem, ne ad Gallos transferatur Romani Imperij decus: neve moveantur principes opibus aut viribus Gallicis: quia adhuc in Germanica natione tantum sit consilij & virium, ut nihil opus sit externos Reges accersere. Po-

Postremo

stremo hortantur, ut aliquis eligatur ex Germaniæ principibus: & pollicentur, sua arma non defutura esse defendendæ tranquillitati Germaniæ. Scribunt & ad Leonem X. Romanum pontificem & petunt, ne sit auctor Electoribus eligendi Regis Francisci, quod Gallorum dominatio in Germania paritura esset ingentia bella, & futura exitiosa utrique nationi. Nec impliciti Galli Germanicis bellis, Italiam defensuri essent, aut alias res utiles nomini Christiano moturi. Ad has literas Romanus pontifex respondens, narrat in foederibus, quæ Romana sedes habeat cum Regibus Neapolitanis, cautum esse, ne quis simul Romanum Imperium teneat. Cum autem sibi Romanæ sedis Privilegia religiose & summa ope tuenda sint, ea de re certiores factos esse Electores, ne quid fieret contra libertatem & commodum Romanæ sedis. Quod autem alium quendam principem evehendum esse ad fastigium Romani Imperij magis senserit, adductum se non privata benevolentia, sed certo iudicio: quod cognoverit eum excellenti ingenio, industria, & magnitudine animi præditum esse, & cupere potentiam suam ad communem salutem conferre. Hanc excusationem scripsit ad Helvetios Leo pontifex, omissis Regum nominibus,

Etsi autem intellexerant Electores, quæ omnium Regum ubiq; terrarum vel studia essent, vel expectatio de hac electione, & quo singulorum voluntates inclinatae essent: ipsi tamen summa cum gravitate cavebant, ne ad ullum inflectere se quisquam videretur, ante suffragationem.

Nemo ullas aluit factiones, nemo paravit sui suffragij defensores: sed integris animis convenerunt in colloquium Electores, è quibus Moguntinus, unus omnium gravissimum onus sustinebat. Nam cum primus sententiam dicturus esset, laborandum ei fuit, non modo ut suffragio suo aliquem nominaret, sed etiam causas suæ suffragationis exponeret, ut reliquos ad
suam

suam sententiam adjungeret. Itaque prius cum Friderico Duce Saxoniae, de universa Republica Christiana, & omnibus Imperii Germanici partibus colloquitur. Et his congressibus totas impertit noctes: ac re diligenter disputata, huic ostendit maxime e Republica sibi videri, ut Carolus Archidux Austriae eligatur. Idem cum videretur Duci Saxoniae, jubet eum constanter in sententia manere, ut consensu suo, dubitantes invitarent, & repugnantes vincerent.

Cum igitur constituto die ad deliberationem Electores in Curiam Francofordiae (quae dicitur Romana) convenissent, Moguntinus bene paratus, orationem habuit in hanc sententiam: Non dubito equidem, principem orbi terrarum divinitus dari, tamen cum nostra suffragatio requiratur, primum oro Deum optimum Maximum, ut mentes nostras gubernet: Deinde censeo nobis quoque diligentiam & fidem praestandam esse, ut quantum a nobis provideri potest, maxime idoneum eligamus, qua in re primum habenda est ratio legum nostrarum, & jurisjurandi. Et quoniam hic congressus institutus est, non ut suffragia feramus, sed ut libere colloquamur, cum de universa Republica, tum de electione: dicam quid mihi maxime videatur e Republica esse. Etsi autem mirifice angor animo, de eventu electionis: tamen haec res non nihil levat animum meum cura, quod antea polliciti estis, vos non commissuros esse, ut suffragia dissentiant. Disputabo igitur liberius, vosque ut idem faciatis adhortor.

Deinde collatis opinionibus, sine privatis affectibus, ut decet principes quorum sapientiae & virtuti res omnium maxima commendata est, unam sententiam eligemus, quae videbitur utilissima universae reipublicae Christianae. Existimo vos omnes de tribus sententijs disputare: an rex Galliae sit ad Imperium accersendus, aut Carolus Rex Hispaniae: an vero satius

C

sit,

fit, aliquem eligere ex cæteris Germaniæ principibus, qui virtute & potentia alijs antecellere videatur. De his omnibus exponam breviter meam opinionem.

De Gallo arbitror nos impediti nostris legibus, & jurejurando. Est enim diferte constitutum, ne extero, sed Germanico principi Imperium commendemus, ne hoc tantum decus ad exterarum nationes transferatur: & non modo Germania veniat in servitutem, sed etiam in Italia, aut statu Ecclesiæ, mutatio sequatur. Nec vero dubium est, Regem Gallicum esse peregrinum principem: & eo appetere hoc fastigiū, ut ad suos transferat, sicut idē majores ipsius sæpe armis ad se retrahere conati sunt. Nec sine acerrimis dimicationibus, Carolus Crassus, & Otthones, possessionem Imperij in Germania retinuerunt.

Quod autem aliqui referant vetustam originem Francorum Regum ad Germanos, hæc leviora sunt, quam ut principes, tanta sapientia & gravitate præditos, movere debeant. Constitutio postulat talem eligi, qui vere sit hæres alicujus ditionis, quæ huic nostro Imperio paret. Alioqui si illæ veteres fabulæ Gallis patrocinantur, perinde poterunt à Turcis Trojam reperere atque à nobis Imperium: quia perhibent se ac Hectoris filio ortos esse. Cum igitur constet, excludi Gallicum Regem constitutione publica, quam jurati in electione sequimur: nihil opus est longa disputatione. Quanquam etiam si natio nihil impediret, dissuaderem hanc electionem. Primum enim in Germaniam adducendus erit Gallus. Quantum ea in re periculi erit, cum exercitus peregrinus distribuetur in urbes Imperij? An superbiam, & libidines equitum Gallicorum civitates ferent? Sed aliud impendet gravius malum. Veniet inimicus Carolo, quod ne cui dubium sit, jam bellum denunciatum est: antiqua foedera Burgundionum & Gallorum rescissa. Bellum etiam Neapoli inferre decrevit, itaque cum detrectabunt

Impe,

Imperium Gallorum Austriaci & Belgæ, & habebunt alij aliorum principum studia atque auxilia, videbitis arsuram civili bello universam Germaniam.

Porro cum alia nobis prospicienda sunt, tum hoc natura primum est, ne nostra electio civile bellum in Germania accendat. Jam si Gallum elegerimus, oportebit nos suffragia nostra tue-ri. Ubi incidet discordia cum Austriacis, num arma geremus ad opprimendam domum Austriæ? Nec nos vetus necessitudo, nec sanguinis conjunctio, nec merita & nobilitas domus Austriacæ: deniq; non Maximiliani manes, à tanto scelere deterrebunt? Deinde oppressis Austriacis, an putatis libertatem cæteris principibus in tuto fore? Ut Mediolanū non reddet unquam Germanis, ita, ubi poterit, Gallorum potentiam augebit.

Nihil me illa magnifica promissa movent, quæ audistis. Non pacta, non leges plus valent, quam iracundia, superbia, ambitio victoris. Scimus Gallum in patria, quam natura amare debebat, quosdam jam principatus rapuisse: breviq; orbatam videbitis principibus universam Galliam. Est omnino Gallus excelso animo præditus: sed nimis cupidus Monarchiæ.

Nos autem nisi Aristocratiam principum in Germania omni consilio, omnibus viribus ac nervis tuebimur, male consulemus universæ posteritati. Minus etiam movent me illa gloriosa promissa de bello Turcis inferendo.

Equidem agnosco conjunctionem Germaniæ, Italiæ, & Galliæ, magnum ac salutare præsidium Europæ esse: si quis teneret pacatas & obedientes. Sed Gallus nihil gerere adversus Turcas, aut volet, aut poterit, nisi prius domitis in Germania Belgis, in Italia vero recuperata Neapoli. Has ad res armare Gallum, hoc est ad crudele bellum in ipso Imperio excitandum, nostra auctoritas nequaquam debet. Nec est quod mihi quisquam objiciat vaticinari me de rebus ambiguis. Ego vero certa & explo-

rata commemoro. Jam enim, ut dixi, bellum denunciatum est: conscripti exercitus: quos tamen fama nostræ electionis, si alius fuerit electus, facile reprimet.

Quare ut finiam hanc disputationem, primum lege & juramento impediri nos censeo, ne Regem Gallicum Franciscum ad Imperij fastigium evehamus. Deinde etiam, si eligere eum liceret, censeo id non esse à republica, sed futurum exitiale Germaniæ & fortassis universæ Europæ. Quare profiteor me suffragio meo nequaquam accersere Gallum ad Imperium. Restant duæ deliberationis partes, an Carolus sit eligendus, aut alius quispiam Germanicus Princeps.

Hæc deliberatio multo mihi difficilior est. Nam de Carolo opinor plerosque vestrum, propter multas graves causas dubitare: quæ etiam meum animum non leviter movent. Primum Hispania longe distita est à Germania, quod ut libertati nostræ tutius videtur, ita si Carolum detinebunt Hispaniæ, interea sine præsidio, & sine custode publicæ tranquillitatis erit Germania. Et vel Turcici belli causa, vel propter domesticos principum tumultus, necessitas publica flagitat, ut velut in statione adsit Imperator. Quid? si etiam subito de imperio, aut de religione exarserit aliqua seditio?

E quidem perhorresco, cogitans quantum tunc habitura sit periculi hæc natio absente Imperatore. Fateor hujus periculi cogitatione angere animum meum. Aliud levius est, sed tamen non contemnendum. Si enim iratus aliquando in Germaniam veniret, & Hispanos adduceret, libertas nostra non esset in tuto. Fortassis & Hispani difficulter nobis restituent Imperij decus, postquam semel in hanc possessionem venerint: præsertim cum aditum ad Italiam eis patefaciat. Et cum suo sanguine recuperabunt Mediolanum, non sine certamine inde nobis cessuri sunt. Videretur igitur tutius, ommissis exteris regibus, eligere

eligere aliquem, prudentia, justitia, fortitudine, & fide præstantem virum, ex reliquis nostris principibus, ut sæpe majores nostri fecerunt, qui plerumque virtutem in electione magis spectasse, quam potentiam videntur.

Agnosco id quidem: sed tunc populi Germaniæ minus erant contumaces. Facile erat, ut dicitur in proverbio, imperium in bonis. Nunc autem quid fieret, si electo Imperatore infirmo, nec Belgæ, nec Austriaci parerent? Et ut futurum non dubito, si bellum inter duos Reges, Gallicum & Hispanicum, in Belgico, aut in Italia oriretur: an Imperator, velut ociosus spectator, sineret duas exterarum nationes diripere bonam Imperij partem? Quid? quod ipsi principes Germaniæ, ut nunc sunt mores, spreto suo Imperatore, alij se cum Austriacis alij cum Gallis conjungent.

Vt igitur lepores dicuntur frustra concionari leonibus, ita sedebit noster Imperator, velut lepus, edicta componens leonibus, videlicet istis Regibus: quæ edicta derideant omnes exterarum nationes. Minus periculi fuit, cum regnaret Fridericus Tertius. Et tamen dedecori nobis fuit, tunc Burgundum ferre signa per bonam Germaniæ partem: Philippum Mariam impune grassari in Italia: Alibi etiam circumfederi Imperatorem, in ipsa Austria: nec nisi Bohemis auxiliis liberari: postremo ab Hungaris belli Austria, & ejici ex suis laribus: cum quidem ea ætate haberet conjunctos principes, meum avum Marchionem Albertum fortem & sapientem virum, & Albertum Saxoniam Ducem. Quid nunc fieret, cum exteri Reges haberent alij alios principes stipendijs obligatos? Et quam multæ causæ incidere possunt, vel principibus vel civitatibus detrectandæ obedientiæ.

Videntur etiam de religione impendere horribilis tumultus. Sunt enim semina jam sparsa de indulgentiis, de potestate pontificia, de autoritate Ecclesiasticarum traditionum: quæ

etiamsi adhuc sanabilia existimantur, tamen paulo post, magnā mutationem universæ Ecclesiæ afferent. Nullum enim doctrinæ genus majore applausu exceptum est, quam hoc. Et quotidie plura dogmata moventur: irritantur ingenia ferocissimarum gentium in Germania Saxonica & Helvetica. Nec poterit sine Synodo tranquillitas Ecclesiæ restitui.

Quæ autem erit infirmi Imperatoris autoritas, vel in petenda Synodo, vel in defendenda: præsertim si cæteri Reges adverbabuntur. Nihil jam de Turcicis bellis dicam, etsi nostrum est, non modo de defendēdis finibus nostris, sed etiam de liberanda Græcia cogitare. Quam ad rem opus est multarum nationum copiis & viribus: quas contrahere Imperator, si parum habeat autoritatis, non poterit. Hæc atq; alia multa, meum animum adducunt, ut in hac electione potentia rationem ducendam esse judicem: nisi Imperatorem velimus habere, qui titulum & umbram Imperij, sine autoritate, sine viribus gerat.

Itaque antefero Carolum Archiducem Austriae cæteris Germaniæ principibus: & incommoda, quæ de illius electione colligi possunt, leviora judico omnibus quæ alterius cujusquam electionem secutura essent. Primum origo est vere Germanica: nec dici potest, nos re transferre Imperium ad externos, titulo tenus principem habere Germanicum. Possidet enim in Germania ditiones plurimas, quæ parent nostro Imperio: & quarum aliquæ antea pepererunt Imperatores. Nec credibile est, hoc animo esse Carolum erga patriam, ut velit Austriam, aut Belgas, opprimi servitute, ab ulla externa natione. Ergo de origine Caroli nulla disputatione opus est: Et si quis scrupulus est, ne transferatur Imperium ad externos, habemus solennem formulam jurisjurandi: juxta quam fidem dabit Carolus, se non labefacturum aut mutaturum jura electionis nostræ & Imperij statum.

Cum

Cum igitur & origine vere sit Germanus, & tempora flagitent potentem Imperatorem: censeo Carolum Austriacum evehendum esse ad Imperij fastigium. Quod ipsum tamen non facerem, nisi indoles ejus nobis nota & probata esset. Omnium maximarum virtutum, praesertim in principe, fons est, amor religionis Christianae: Haec virtus in primis eminent in Carolo. Quare pactorum, & jurisjurandi violationem, tanquam summum scelus, detestatur. A crudelitate eum adhorrere natura, multis certissimis indicis comperi. In controversiis dijudicandis, in coercendis improbis, justus est. Ingenij vis, prudentia, ac diligentia, jam conspici potuerunt. In Tyrocinio Regni Hispanici magnos motus compescuit. Et constat eum suo ingenio multa graviter & dextre respondere, & constituere. Magna laus in juvene & haec est, & signum multarum aliarum virtutum, quod pudicitiam amat: quod nullis libidinibus obnoxius est.

Quare religionis, justitiae, & pudicitiae custodem fore credibile est. In tali natura nihil tyrannicum exoriri potest. Regent enim eum illae virtutes, ut servet pacta, ut nulla moveat bella injusta, ut non mutet veterem & constitutam Imperij formam. Excitabunt eum etiam ad liberandum orbem terrarum impietate Turcica: ad propagationem Ecclesiae Christi: ad tuendam & muniendam disciplinam: ut homines ad pietatem & ceteras virtutes assuefiant. Ac ne ingenium ejus mihi inexploratum esse putetis: prudentissimorum hominum, qui eum familiarissime norunt, & acutissime de ingenijs judicare possunt, exploravi sententias. Hi probant ingenium, ac mirifice ejus bonitatem laudant.

Postremo si de ingenio conjectura facienda est ex natura majorum (quia quaedam similitudo propagari solet) meminimus quanta vis animi, prudentia, justitia, fortitudo, continentia, in Maximiliano fuerit. In patre Philippo dexteritas, & industria

castris

stria singularis erat. Non dubito autem, quin majorum naturam Carolus referat. Nec ætas est aspernanda, quæ jam matura est rebus gerendis. Nec enim quærendus est senex Imperator, ut cum biduum aut triduum imperarit, postea de electione novi tumultus oriantur.

Videtis in hoc nostro consensu, quam varia sint multorum Regum certamina de electione: quid futurum est aliquando, ubi dissentient Electores? Utinam quidem Electorum concordia perpetua sit: sed multa incidere possunt, præsertim in hac disciplina, ac morum corruptione, & gliscentibus Ecclesiasticis discordijs: quæ animos eorum disiungant. Quare interregna plena periculorum futura sunt. Accedit & illud, quod Carolus utetur consiliarijs avi: & leget in senatum Principes Germanicos, sine quorum consilio nihil de maximis rebus decernet.

Exposui causas, quare Carolum eligendum esse statuum: ac meo iudicio, ita multæ graves causæ concurrunt, ut hanc electionem sperem Germaniæ ac toti Europæ salutarem fore. Quod autem initio disputabam, quantum foret incommodi, si Imperator perpetuo abeslet extra Germaniam, moveor equidem hac difficultate: sed de ea re in formula constituendi & regendi Imperij, cum Carolo agendum erit. Cumq; habeat amplissimos in Germania & in Belgico principatus, tribuet hoc necessitati earum gentium, tribuet patriæ, ut sæpe in Germaniam veniat.

Non ad ociosa spectacula se accersi intelligit, cum ad Imperium vocatur: res magnæ gerendæ erunt, Galli depellendi ex Italia: Turcæ arcendi ab Austria: liberandæ & vicinæ regiones: Ecclesia emendanda & constituenda. Harum maximarum rerum curam ut suscipiat, ipsa eum Heroica natura & virtus exuscitabit. Hæc non sinet eum domi languescere ocio & voluptatibus. Et facilis aditus est in Germaniam ex Italia, quæ
 simul-

ei multis de causis sæpe adeunda erit. Sicut Carolus Magnus, Otthones, Henrici, crebro in Italiam venerunt: alias, ut Ecclesiasticos tumultus fedarent: alias, ut depellerent barbaros: alias, ut civitatum seditiones opprimerent. An existimatis eum non venturum esse, ut Austriæ, quæ vere ei patria est, opem ferat? cum vel in Pannoniis vel ipsa Austria Turcicas legiones vagari audiet. Ille vero magno animo accurret, ut & patriæ, & toti orbi Christiano opem ferat.

Quare de absentia, cum cogito qua mente præditus sit, quæ eum pericula exuscitatura sint, etiam minus sum sollicitus. Facta etiam histemporibus promittunt Germanicum Imperatorem, qui majores magnitudine potentiæ superaturus sit. Et addunt alteram laudem, multo gratiorem: futurum ut bonitate & clementia præter cæteros reges excellat, nec alium nisi Carolum, vaticinor. Quare opto, ut Deus Imperium ipsi committat, eumque gubernet, ad salutem orbis terrarum. Dixi, quæ in præsentia de electione colligere potui: Sed quia communis est hæc deliberatio nostri amplissimi senatus, & vos pro vestra sapientia, plura etiam de republica cogitasse existimo: quæso, ut singuli suas sententias exponant, ut deinde eligamus eam, quam omnes collatis opinionibus maxime è republica esse judicabunt.

Hæc cum dixisset Moguntinus, & hortaretur cæteros, ut suo quisque ordine exponeret suam deliberationem: congressi alii ac pauca colloqui, Trevirum jubent dicere, qui pollebat ingenio, doctrina, & usu rerum. Nam & Romæ in judiciis & negociis publicis diu versatus fuerat, & in Germania propter domesticam administrationem, & dexteritatem in publicis negociis, vel Imperij, vel aliorum principum, magnam prudentiæ laudem erat consecutus. Nec ulli ex nostris principibus res Gallicæ erant notiores. Is, quia in privatis congressibus, aliquoties

D

oppu-

oppugnauerat Caroli electionem, videbatur paratus ad dicendum venire. Cæteri, ut liberius suam sententiam exponeret, initio audiendum eum esse censuerunt. Sic igitur exorsus est.

Audio in hac ipsa urbe, cum patres vestri ad eligendum Maximilianum convenissent, adfuisse vatem, qui dixerit, ultimum Germanicorum Imperatorum fore Maximilianum. Cumque initio fabulam, sine certo autore natam, existimarent, diligenter inquiri autorem iusserunt. Quem cum ad se vocassent, & ex moribus & sermonibus hominis iudicarent, non temere eum has fatidicas voces edere: valde hoc vaticinium admirati sunt, multaq; de posteritate, & mutatione Germaniæ collocuti seruntur. Meminit hæc sine dubio Dux Fridericus, qui tunc unà cum patre Ernesto adfuit.

Propemodum autem respondit illi prædictioni eventus. Audivi enim attente eloquentissimum principem Moguntinum, qui cum diligentissime collegerit omnia, quæ nobis in hac deliberatione prospicienda sunt, tamen ad extremum hoc censet utilissimum esse orbi terrarum, ut peregrinum Imperatorem accersamus: id si fatale est, frustra repugnamus. Sed illud miror, cur ipse Hispanum anteferat Gallo. Quæ in re primum mihi deploranda est Germaniæ conditio. Nihil nobis externis præditiis, nihil peregrinis ducibus opus esset, si majorum suorum virtutem nostræ ætatis principes imitari vellent. Ocium & setvitutem quærimus, dum externum principem adducimus. An putatis, aut Avos vestros, Albertum Marchionem, aut Fridericum Palatinum, aut Albertum Saxonem fuisse unquam externum dominum adducturos? ipsi militabant, res gerebant. Nec unquam exercitus, pecunia, arma, nostris defuerunt, quandoque vel mediocres duces habuerunt. Verum omitto querelam.

Si omnino peregrinus Imperator habendus est, causæ sunt pluri-

plurimæ, quare Gallicus Rex anteponendus sit omnibus. Ac priusquam dicam hujus mei iudicii rationes, primum de lege & jurejurando disputabo, unde exorsus est Moguntinus. Opinor majores nostros hac lege cavere voluisse, ne Germania amitteret Imperii decus: eoque peregrinos Reges eligi noluerunt, hoc est, tales, qui non haberent in Germania domicilium, ne externa natio paulatim usu caperet Imperium. Hæc si est voluntas legis, nihil magis licebit Hispanum eligere, quam Gallum. Hispanicus Rex longius à nobis abest. Et natio ipsa dominationis cupida & bellicosa, postea sibi imperium extorqueri non sinet, ut postea iterum dicendum erit. Et si hoc satis est causæ, cur Carolum eligimus, quia tenet quasdam ditiones ad Imperium pertinentes?

Valeat idem in Gallo, qui Mediolanum, & Regnum Arelantense, veterem nostrorum Imperatorum sedem, in potestate sua habet. Denique prorsus ita sentio, quod ad electionem attinget, non minus accersi peregrinum Imperatorem electo Hispanico, quam Gallico Rege: etiamsi aliqua subtili interpretatione jam inseritur Hispanus Germaniæ, eamque totam deliberationem in utranque partem disputari posse judico: & penes nos declarationem legis esse sentio. Quærendum igitur est, utrum sit utilius. Ego cum cogito illam auream ætatem nostri Imperii, cum essent conjunctæ Francorū temporibus, Germania & Gallia: Ac reputo quantum ea conjunctio ad tranquillitatem universæ Europæ contulerit: mirabiliter afficior, nosque beatos ducerem, si eum statum restituere possemus.

Divinitus autem nunc oblata est occasio ejus rei efficiendæ. Quare nihil dubito vos adhortari, omni studio ut occasione utamini. Nec ab hoc meo iudicio discrepat Italia. Idem optare scio Romanum Pontificem, Venetos, Italiæ principes, ac civitates omnes. Cum tot iudicia congruere videatis hominum

sapientissimorum, nolite existimare leves causas esse, cur idem tanto consensu probent, & omnibus votis expetant omnes. Gallica gens ut est vere cognata Germanis, ita opinionibus, ac moribus, liberalitate, clementia, pietate, literarum cultura, Germanis simillima est. Et quod constat una est exterarum nationum maxime nostrorum hominum: ut vestigia quædam cognationis in hac ipsa benevolentia agnosci possint. Vicinia vero quam est oportuna, ad defensionem utriusque Regionis, si quis subitus tumultus inciderit. Nec ad Italiae pacem tuendam reperiri utilius consilium potest, conjunctione harum duarum gentium? quarum utraque exercitus ingentes equitum ac peditum conficere, & Gallia suppeditare belli nervos, videlicet ingentem vim pecuniæ, potest. Et quia non solum Germaniæ, sed toti nomini Christiano, in hac electione consulere debemus: quærendum est præsidium adversus Turcica arma. Cum enim teneant jam pacatam Asiam, nihil dubium est rursus in Europa bellum molituros esse. Invadent Pannoniam, & Italiam. In tali discrimine, quid erit optatius, quam Imperatorem habere instructum copiis ac viribus Germaniæ & Galliæ?

At contra, ut de ingenii ac natura gentis Hispanicæ nihil dicam, quæ etiamsi est bellicosa, tamen non tam viribus pugnat, quam arte. Itaque nulla magna res ab eis in Italia sine auxiliis Germanicis gesta est. Sed cogitate, quam procul distita sit: certe in subitis tumultibus non poterit nobis, vel Italiae, vel Pannoniæ, opitulari. Patria est Caroli Austria, ne hanc quidem Hispani tuebuntur: Et ut volent, non poterunt. Non enim nisi exiguas copias domo mittunt, ejusque rei causa est, quod navigationibus Hispania exhauriatur: nec coeli nostri gravitatem satis ferre possunt.

Est & illud commodi, si cum Gallis militemus: vestro ductu
omnia

Omnia gerentur: vos in gloria societatem admittent Galli, etiam si sunt gloriosi. At ubi cum Hispanis militabitis, illi vos tanquam mancipia regent: ipsi laboribus ac victoriis vestris fruuntur: praeipient honores, praeerunt provinciis. Vos tum sero deplorabitis servitutem vestram. Sed gentium collationem omitto: de ipsa electione dicam. Tenet hoc tempore Gallus Mediolanum, qui si erit Imperator, ne causa quidem belli in Italia futura est. Nam quod Gallus existimatur Neapolim petiturus, vestra cum autoritas facile ad alias res utiliores avertet, si habebitis obligatum beneficio vestro. A Belgis etiam abstinebit, si quiescant ipsi: ut facient certe, conterriti Germaniae consensu, praesertim si non fuerint irritati. Nec ego velim illos irritari. Vicinos enim habuimus Belgas longo tempore, non socios Imperii. Nostra edicta nihil morantur: nostris periculis nihil afficiuntur: Suum quoddam regnum ibi habent, nihilo magis conjunctum cum Imperio, quam sunt Angeli aut Scoti.

Quare quod verentur aliqui futurum, ut Germania bello implicetur, si Belgae non obtemperarent, qui imperia nostra multis jam seculis contemnunt, nihil periculi est: nullum sine vestro consilio bellum Gallus movebit. Et quia Insubriam tenet pacatam, & hoc tempore optime instructus est omnibus rebus ad bellum necessariis: unam hanc laudem, unum hoc decus petit, ut a nostris cervicibus depellat Turcas: ut Selymum ingentibus successibus, ac minitantem Italiae exitium, adortur omnibus viribus. Quare nihil dubito polliceri, electionem Galli allaturam esse Germaniae tranquillitatem, Pannoniae atque Italiae salutem.

At contra eligerimus Hispanum, quam atrox bellum accendatis in Italia, ad recuperandum Medionalum? Etsi autem incerti sunt exitus bellorum: tamen ut tandem sit fortuna Imperii superior, diu trahet bellum Hispanus, ut solet assiduitate

vincere, non Achilleo more properans, ut totis viribus dimicet. Interea Italia vastabitur crudeliter. Nos occupati rebus Italicis, Turcam non poterimus arcere. Hæc pericula nescio cur extenuentur, quæ ad totum orbem terrarum pertinent: cum è regione tam diligenter colligantur & amplificentur pericula, quæ Galli electionem comitari videntur: quæ tamen & leviora & incerta sunt.

Illud certum est, Italiæ horribilem vastitatem denunciari electione Hispani: futurum etiam, ut Turci interea opprimant Pannonias. Nihil dicam de exitu belli Italici, in quo si Gallus vincet, tum vero appetet Neapolim, & fortasse Romæ coget Pontificem, ut nostram electionem improbet. Qualem tragediam ea re paritura esset? Sed vincat Imperii fortuna, quid acciderit? Hispani tenebunt Italiam, nunquam nobis reddituri. Novi eam gentem, cupidam dominationis: Polypi sunt, quod semel prehenderunt, extorqueri sibi non sinunt. Et cum Italiæ possessione retinere Imperium haud dubie volent.

Non divino equidem, sed de rebus futuris conjecturas colligo probabiles. Nulla est tam ignava natio, quæ si Italia potiretur, ultro cessura esset: Tantum abest, ut genus hominum bellicosum, gloriæ atque imperii avidum, cessurum vobis existimetis. Omnibus temporibus crevit hoc modo Regnum & populorum potentia. Carthaginenses semel accersiti in Siciliam, postea multis seculis depelli non potuerunt. Sed vetera omitto. Illi ipsi Turcæ quos jam tantopere formidamus, postquam semel in Europam trajecerunt, accersiti à Constantinopolitano Imperatore: progredi non regredi postea statim conati sunt. Ipsi Hispani infinitas ærumnas perferre maluerunt, quam deserere Neapolim, quam accersiti specie societatis, & Italo-rum ope adiuti, redegerunt in suam potestatem. Ita nunc invitati, adiuti à Germanis, potentur Mediolano. Quare censeo, non esse in Italiam adducendos Hispanos. De

De ipsorum Regum ingeniis pauca dicam. Etsi enim existimo indolem in Carolo ad justitiam & bonitatem esse dignam isto genere: Et audio, modestum ingenium esse, tamen si quis existimet in adolescente conipici posse eas virtutes, quæ in summo Principe orbis terrarum ac duce præstantissimo requiruntur, errat. Opus est orbi terrarum primum tali principe, qui sapientia & moderatione sua emendet Ecclesiam: Sapienter enim Moguntinus de religione, & de impendentibus Ecclesiæ tumultibus locutus est, quorum sparsæ sunt semina.

Scio autem Regem Franciscum non modo singulari dexterritate ingenii, & prudentia in judicando præditum esse: sed etiam de religione cum doctissimis hominibus multa solere disputare, multa ipsum legere. Et intelligit hanc esse summam laudem magni principis, ut non desit recte constituendæ Ecclesiæ. Deinde hæc tempora requirunt ducem peritum, acrem, & felicem in armis. Hac in re non indolem in Francisco, sed spectatam iam industriam prædicare possumus. Nemo enim Regum Gallicorum, aliquot seculis res gessit majores: Et quidem exiguo tempore. Cumque vulgo tribuatur Gallis quædam animi mollities, quod inchoata negocia cito abiicere dicuntur, si initio non responderit eorum spei eventus: hic Rex constantiam suam in rebus gerendis declaravit, cumque diuturnum & varium bellum in Insubria gesserit, res tantas præcipue suis consiliis gubernavit.

Nec defuit ei fortuna: Nemo enim profligavit ulla memoria, inde usque à Julio, majores aut firmiores Helvetiorum exercitus. In his negotiis, cum fortuna pene indulgens in eum fuerit, sperandum est, & in posterum ejus consiliis Deum affuturum in Imperii pace tuenda, & in defensione totius Reipublicæ Christianæ. Quid igitur anteferemus adolescentem, cujus indoles nondum satis explorata est, huic Regi, cujus sapientia, virtus & felicitas in toga & in armis cognita est. Po-

52 Postremo addam hoc unum argumentum, quo etsi fatetur
 se moveri Moguntinus, tamen nos bene sperare jubet. Nullis
 verbis dici potest, quantum periculi sit Imperatorem abesse
 extra Germaniam, & ita abesse, ut non statim, cum opus est, ac-
 currere possit. Quid fiet, si vel Turcæ subito irruptionem fe-
 cerint in Germaniam, vel seditiones aliqua orientur inter prin-
 cipes? Ut in sævis tempestatibus navis sine gubernatore, ita
 Respublica sine Imperatore, tali tempore servari non potest.
 Accedit aliud perperuum incommodum: non aspiciet res Ger-
 manicas ex propinquo. Itaque multa nesciet, multas falsas fa-
 bulas credet: levius afficietur nostris rebus. Nullos habebit se-
 cum principes Germaniæ, qui cum eo libere de Republ. loqui
 possint. Sedebit circumfusus ab Hispanis, quorum de multis
 rebus judicia & voluntates à Germanis discrepant. Mittet e-
 dicta in Germaniam, nec causis nec temporibus congruentia,
 quæ tranquillitatem perturbatura sunt. Num hæc incommo-
 da leviter ducitis? Quid? si ipse etiam incensus artificibus aliquo-
 rum veniet iratus in Germaniam, & adducet Hispanos? qui ut
 Campaniam, ut Apuliam inter se partiti sunt, ita vestras ditio-
 nes prædam suam esse arbitrantur. Providendum est autem,
 ne talis aliquis error Germaniæ vastitatem, & huic Imperio in-
 teritum afferat. An illas majorum vestrorum sedes vultis
 Hispanorum colonias fieri? vestros posteros, à summis ortos
 Heroibus, venire in servitutem? & aboleri ornamenta Rei-
 publicæ, à vobis sapienter & sancte instituta jura, judicia disci-
 plinam? Hæc enim omnia in servitute mutantur. Sed de hac
 re plura dicere ominis causa nolo.

Si igitur est habenda potentiæ ratio in electione, ut ego quo-
 que arbitror; & fatale est horum Regum alterum eligi, ego
 Gallum antefero: & nequaquam censeo, Hispanum eligendum
 esse. Sed si lex impedit, ne Gallus accersatur, magis etiam im-
 pediat,

pædiat, ne Hispanus eligatur, cum ejus electio, quantum prospici humanitus potest, minime salutaris futura Germaniæ videatur. Ac decurramus ad majorum nostrorum exempla, & vere non callida interpretatione, legem servemus. Ac vere Germanicum principem, qui non aliud domicilium, nisi in Germania habet, qui origine, ingenio, lingua, moribus Germanus est, eligamus. Nec me usq; adeo movet, quod ait Moguntinus, leporem leonibus imperaturum esse: magis illud videndum est, ne ciconiam ranis, seu corvis vulturem, præficiamus.

Potentia Germaniæ satis magna est, si quem eligemus, qui virtute autoritatem sibi comparare poterit. Accepit hoc Imperium & pene funditus collapsum, Rodolphus mediocris Princeps, tantum propter virtutem electus: ac brevi ita crevit, ut regibus vicinis omnibus formidabilis esset. Audio Ludovicum Regem Franciæ proximum, cum essent de Imperio Germanico sermones, & quidam Maximilianum per jocum vocasset consulem Augustanum, significans eum paucis civitatibus imperare, duriter increpuisse illum & respōdisse: Imo vero nequaquam Germanici Imperatoris potentia contemnenda est, cum ille consul tympanum pulsasset, tota Francia tremuit. Honestè Ludovicus: noluit enim in Regum majestatem jocos, aut convicia dici. Sed tamen illud etiam ostendit, se Maximilianum propter virtutem cuiuslibet potentissimorum Regum parem ducere. Nec adeo videtur extincta esse virtus in familijs vestris, nemo ut reperiri possit hoc fastigio dignus.

Tres sunt familiæ, Bavarica, Saxonica, & Marchia, quæ quadam mediocritate potentiæ autoritatem in Germania tueri possunt. Et sunt in his aliquot principes, qui ingenijs & virtute sustinere magnitudinem hujus administrationis queunt. Ex his si quem elegerimus contentientibus suffragiis, eumque nos defensuros esse ostendemus, ut æquum est; omnes princi-

E

pes

pes & populi erunt in officio. Ut igitur habeat auctoritatem, virtute opus est: ut accedant vires formidabiles exteris omnibus, una re opus est, videlicet Electorum consensu: quem inter nos quidem perpetuum spero futurum esse. Nemo est enim inter nos, qui sibi potentiam aliquam quærat: quem ambitio aut ulla cupiditas incitatura videatur adversus communem Imperii tranquillitatem. Tali sapientia & gravitate præditos esse Electores, cum salutare est Reipublicæ, tum vero ad omnem posteritatem Germaniæ gloriosum. Itaque mirifice delector recordatione hujus virtutis.

Omittamus igitur Hispanum, & virtute cum exteris certemus. Non quæramus alios qui nobis imperent ociosis. Nihil enim indignius est natis Heroico genere, quam inertia fugitantes laborem, alijs concedere Imperij gloriam, & servitutem accersere. Quoties in Germania mediocres principes contraxerunt regios exercitus, & res præclaras gesserunt? fuit recens Dux Saxoniae Albertus, qui suis sumptibus magna ex parte bellum in Belgico gessit. Quid? ante hunc quantos exercitus sæpe contraxit Marchio Albertus? Patri tuo, Friderice, Duci Ernesto bellum denunciavit Rex Pannoniæ Matthias: quantas copias, quantum robur ex vicinis regionibus subito contraxerunt, pater & patruus tuus? Itaque cessit vobis Pannonius sine dimicatione, quod non fecisset, si duorum fratrum ingenia & vires contempsisset. Quare non dubito posse iniri rationem electo Germanico principe, ne ei vires, copiæ, arma desint ad tuendam auctoritatem domi & apud externos.

Exposui meæ opinionis causas, non ut postulat magnitudo negotii sed ut in præsentia potui, maximeque cupio audire, quid judicent cæteri Electores, qui diu Imperij consiliis interfuerunt? qui Germaniæ statum & vires, qui omnium principum ingenia & facultates norunt: qui Maximiliani consilia de rebus

rebus his meminerunt. Denique qui longum in administratione Imperij usum habent: quorum cum audiero orationes, de tota re diligentius disputare potero.

Cum dicere desisset Trevir, taciti aliquandiu sederunt principes, tanquam defixis animis in cogitatione utriusque orationis. Exaggerata enim magnitudine periculorum in utraque parte, quorundam animos non nihil impulerat Trevir, ut ad illud decurrerent, ut omissis Regibus quærent aliquem alium ex Germanicis principibus. Sed hunc quærentes, animis magis etiam dubitabant. Jubent igitur tandem Fridericum Saxoniae Ducem, natu maximum, suam sententiam exponere: qui pauca præfatus de lege, dixit: Interpretationem Treviri subtiliorem esse quam qua uti ipsos deceat. Addiditque, non dubitandum esse, quin lex impediatur Galli lectionem, planum & illud esse, Carolum vere Germanicum principem esse: Et in Germania domicilium habere. Et opus esse his turbulentis temporibus principe, qui auctoritatem virtute & potentia tueri possit. Ideo se non dubitare, quin omnibus anteferendus sit Carolus Archidux Austriæ. Sed tamen prius conditiones quasdam ei ferendas esse, ut in tuto sit Germaniæ libertas, & ut pericula de quibus disputatum est, quantum provideri potest, caveantur. Eadem sententia dicta est à cæteris Electoribus.

Trevir cum videret omnium animos ad Carolum inclinare, agnoscere se, inquit, Germaniæ fatum, & impendentem Imperij mutationem. Quanquam igitur non desinit hortari, ut diligentius hæc res deliberetur, tamen affirmat se publicæ concordie causa suum suffragium cum illis conjuncturum esse. Hac acerrima contentione ejus diei in multam noctem producta, tandem ita discedunt, ut postridie conveniant de conditionibus deliberaturi, quas Caroli Legatis proposituri erant, qui Moguntiae eventum expectabant.

Fuit igitur de conditionibus illis postea per aliquot dies non minus contentionis: quæ per scriptæ & Moguntiam ad Legatos missæ, cum essent receptæ, dies constituitur, eundi in suffragium solenni more. Itaque rursus sacro publice factò, ingressi in sacrarium interius templi Divi Bartholomæi suffragia ferunt hoc ordine. Cœtus Electorum reliquos interrogat Moguntinum, quem eligat Regem Romanorum & futurum Imperatorem: is respondet, se eligere Carolum Archiducem Austriae. Deinde & Moguntinus reliquos interrogat. Hoc modo omnium consentientibus suffragiis Carolus electus est Imperator. Deinde suffragia relata sunt in literas, & confirmata singulorum sigillis. Postea accersita nobilitate ac multitudine universa, publice facta est renunciatio, cum in hanc sententiam habuit Moguntinus orationem.

Quod felix faustumq; sit Ecclesiae Christianae, Imperio nostro & patriae, renuncio vobis electum esse Regem Romanorum, & designatum Imperatorem, Carolum Archiducem Austriae & Burgundiae, Regem Hispaniae. Qua in re primum agenda sunt Deo gratia, quod summa concordia & consentientibus Electorum principum suffragiis res tanta perfecta est. Sæpe enim antea cum dissentientibus Electorum studiis & voluntatibus diversi eligerentur, orta sunt inter Germanos bella civilia, plena impii furoris & crudelitatis, in quibus domi mutua caede flos nobilitatis extinctus est: absumtae Imperii vires, ac pene universa Germania in solitudinem vastitatemq; redacta est. Foris autem nomen Imperij nostri contemni cœpit: Italia deficere, & alios Reges accersere: Turcae impune grassari, dum nos impliciti domesticis bellis, reprimere eos non potuimus. Porro quantum mali hoc tempore discordia Electorum paritura erat? Cum non solum Germaniae Principes, sed fortassis etiam exteri Reges in media Germania de Imperij possessione

sessione dimicaturi fuissent. Nec leviter tentata res est, ut consensus noster dissolveretur.

Quare ego quidem non minus propter concordiam nostram, quam propter electionem ipsam, lætor: Deoque gratias ago, qui mentes omnium ad concordiam retinendam flexit & gubernavit. Qua incolumi speramus huic nationi non defuturum consilium ad defendendam patriam & Imperij dignitatem. Etsi autem divinitus potius, quam humana prudentia perfectum est, ut voluntates nostræ congruerent, tamen hac in re etiam vestra virtus ac sapientia, Electores, maximam gloriam vobis apud externos Reges pariet: conciliabit & benevolentiam nostrorum principum, qui vobis tantæ rei arbitrium solis commiserunt, ut Dominum ipsis, ut custodem publicæ salutis, ut Ecclesiæ, orbis terrarum propugnatorem eligeretis.

Apud hos eo plus admirationis hæc vestra diligentia gravitasque habet, quod ipsi norunt quosdam non modo varijs artificijs, sed etiam propositis minis ac terroribus, conscripto exercitu hoc ipsum conatos esse, ut nostras mentes distraherent ac dissociarent. Utinam nostrum exemplum & posteris profit: qui quantis laudibus vestram celebrabunt sapientiam & virtutem? quod cavistis ne discordia inter vos orta bellum æternum & exitiale patriæ excitaretur. Sed ut ante dixi, Deum agnoscamus autorem esse hujus consensus: eumque ardentibus votis precemur, ut sit perpetuus. Deinde postquam electus est Carolus, non dubitemus quin Dei consilio & voluntate ad hoc tantum fastigium evehctus sit: Nam haud dubie fato & voluntate Dei Imperia dantur.

Agamus igitur Deo gratias, quod principem nobis optimæ atque amplissimæ spei dedit: ac petamus, ut auspicia Imperij sint fausta & felicia, & ut Deus gubernet Regis Caroli animum, consilia, actiones, ad gloriam Christi illustrandam: ad Ecclesiæ

tranquillitatem constituendam, ad patriæ atq; Imperij pacem defendendam, ad religionis, legum, justitiæ, disciplinæ, conservationem. Hæc ingentia bona cogitemus vere esse cœlestia beneficia, quæ generi humano per bonos principes Deus imperat. Quare à Deo pijs & assiduis præcibus petenda sunt. Quem admodum ille, cum inquit de Deo, qui dat salutem Regibus: admonet ita esse felicia Imperia, si Deus det salutem, si gubernet atque adjuvet eos, qui respublicas administrant.

Omnes igitur invocate Deum & Dominum nostrum Jesum Christum, & hanc Psalmi vocem pio pectore ingeminate, quæ precationem pro rege continet: Mittat tibi auxilium de sancto & de Sion tueatur te. Publico etiam nomine postulamus, ut Carolo Regi Romanorum, & electo Imperatori, ac domino vestro, obediatis. Quod quidem vos pro fide, virtute, ac sapientia vestra, facturos esse non dubitamus: præsertim cum ille tanta modestia iudicium nostrum ac suffragia expectaverit. Et quemadmodum nos in electione præstitimus, ne qua inter nos discordia oriretur: ita vos propter publicam Imperij tranquillitatem imitamini nostrum exemplum & communi animo electo Imperatori obtemperate: quem jure ac legibus scitis jam esse nostrum Dominum. Nam electio jure ac legibus facta est. Nullius novi exempli autores sumus contra leges.

Est autem officium necessarium, & præsertim sapientibus ac magnis viris dignum, juri ac legibus obtemperare, parere Dominis, cavere omni studio, ne contumacia dissipentur Imperia. Ac tamen ut libentius huic Domino pareatis, eadem vos rationes hortentur, quæ animos nostros in Electione moverunt. Etenim non solum nihil contra leges fecimus, sed etiam quantum prospici à nobis potuit, Deo gubernante nostras mentes in designando principe, communi salutis orbis terrarum consulere conati sumus.

Quare,

Quare, ut sancitum est, Germanicum principem, & quidem in familia Imperatoria natum elegimus, quem indole ad virtutem egregia præditum esse cognovimus. Eminent autem in eo duæ virtutes, quæ in summo principe maxime necessariae, salubres, & gratæ sunt, videlicet, amor religionis, & bonitas eximia. Quarum altera eum ad fugiendas libidines, ad vitandas temerarias mutationes in Ecclesia & Republica, ad fidem servandam constantiamque in promissis, ad defensionem Religionis & Imperij, exuscitat. Utraque vero prohibet savitiam, crudelitatem, injustam cupiditatem vindictæ. Etsi enim judicavimus opus esse potente principe, qui autoritatem etiam viribus tueri posset: tamen prius ingenium, & mores consideravimus. Potentia enim non salutaris, sed perniciosa esset orbi, si ingenium leve aut malum esset. Est autem ea jam ætas, pene quæ fuit Alexandri Magni capeffentis Imperium: in qua vires corporis propemodum matuerunt, & ingenij vigor, industria, sagacitas, & mores se proferunt, ut judicari, qualis sit natura, possit.

Itaque cum sciremus, Regem Carolum suo iudicio multa honeste & graviter respondere, & non solum non hebetem, sed etiam singulari industria & diligentia in obeundis negocijs, aut providendis, aut iudicandis, præditum esse: & cæteras virtutes habere bono & magno principe dignas, statueremusque tali præditum natura, opes & potentiam suam collocaturum esse non ad nocendum, sed ad salutem humani generis: potius duximus tantis instructum viribus eligendum esse, quam alium his necessarijs præfidiis destitutum.

Hoc consilio censuimus boni principis potentiam autoritate armandam esse. Et quoniam nos non tantum Germaniæ, sed universo orbi terrarum consulere debemus, vires comparandæ sunt, adversus valentissimos hostes, non modo Germaniæ,

Germaniæ,

mania, sed totius Christiani nominis. Tantis incrementis, & tam subitis, annos jam ferme centum auctæ sunt res Turcarum, ut nemini dubium esse possit, eos Imperium orbis terrarum sibi polliceri, non modo propter virium magnitudinem, sed multo magis propter inusitados atque admirabiles successus. Et ut omittamus priora, Selymus nuper non minori virtute, quam felicitate Persas, antea in victos, ingenti prælio superavit & ex Armenia ejecit. Deinde duobus amplissimis regnis Syria & Ægypto potitus est. Et in oriente Imperii Turcici limitem eum constituit, qui quondam Romani Imperii fuerat. Ad tantam gloriam consequutus est, ut majores suos non solum regni amplitudine, sed etiam felicitate superare videatur. Nam & pater & avus Mahometes, cum quidem dux esset unus omnium ejus ætatis acerrimus & felicissimus, cum tentassent Syriam, acceptis magnis detrimentis inde sunt repulsi. At Selymus velut in eodem cursu, profligato Persico exercitu, Syriam atque Ægyptum non sine acerrima dimicatione in potestatem suam redegit. Hunc, cum natura gloriæ immensæ cupidus sit, non accessio virium, non magnitudo successuum incitaret ad res majores suscipiendas? Ille vero jam classicum cecinit, & exercitus in Pannoniam misit.

Videmus autem fato quodam hoc tempore duas bellicosissimas nationes conjunctas esse, Germanicam & Hispanicam: Actenet Carolus magnam Italiæ partem. Itaque, si omnium gentium consilijs dux adversus Turcas legendus esset, haud dubie omnium votis expeteretur, & omnium suffragiis designaretur Imperator Carolus.

Quare & vos & plerasque alias gentes, quæ cum Imperio nostro societate aut foederibus conjunctæ sunt, speramus iudicium nostrum summo studio probaturos esse: præsertim cum omnes norint Carolum singulari moderatione naturæ prædi-

præditum esse, maximeque à superbia, saevitia, cupiditate inju-
stæ dominationis, abhorrere. Esset enim formidanda liberis
tanta potentia, essent metuendæ Imperij & orbis terrarum
graves mutationes, nisi naturæ bonitate & timore Dei poten-
tiam moderaturus videretur. Quod ut speremus, gravissimis
argumentis adducimur. Indoles enim ipsius penitus nobis
perspecta est, cognovimusque eum habere infixam animo mi-
rificam reverentiam erga religionem, fidem pactorum con-
stantissime præstare, & à crudelitate quam maxime abhorrere.
Sunt autem omnium reliquarum virtutum nutrices, religio,
veritas & mansuetudo.

Deinde familiæ natura movemur, quæ Imperium jam an-
nos plus octoginta ita tenuit, ut nondum poenitere nos Austri-
acorum principum debeat: In primis enim enituit in utroque,
in avo & proavo, eximia moderatio & lenitas: quæ quidem in
Maximiliano Cæsare non poterat segnities videri. Nemo enim
erat illo in armis acrior. Quoties armis dimicavit ipse? Quo-
ties parvis copiis ingentes fudit exercitus? Nunquam fortunæ
succumbebat ejus animus. Rursus in victoria, in toga mitissimus
erat. Et quod singularis erat prudentiæ, præcipuo studio ca-
vebat, ne iracundia incitatus præberet occasionem mutationi-
bus Ecclesiæ aut Imperij. Ab hoc prognatum Carolum, refer-
re avitam moderationem animadvertimus: & ea esse gravitate
præditum scimus, ut intuens in majorū exempla non sit com-
missurus, ut ab illis degenerasse dicatur: ut alienos mores, in-
dignos majoribus, accersivisse, ut primus laudatissimæ familiæ
notam superbiæ & crudelitatis inuisse feratur. Meminit et-
iam avi præcepta, de timore Dei, de cura tuendæ religionis, de
clementia: quæ ut decet, velut oracula observat.

Quanquam, quid opus est longa oratione? jam specimen in-
dustriæ & virtutum aliarum dedit in Hispania. Avo ejus ma-

F

terno

terno extincto, magni motus in regno, & civiles discordiæ erāt exortæ. Has adventu suo repressit: cumque ejus nationis ingenia bellicosissima sint, & externos dominos non facile patiantur, tamen ipse non tam armis, quam virtutis, ac præcipue bonitatis admiratione, totam Hispaniam nunc ita retinet in officio, ut nemo Regum unquam tam pacatam tenuerit. Quare quantum humanitus provideri potuit, elegimus Imperatorem, in quo cum virtute potentia conjuncta est, ut ejus vires præsidio essent Religioni, Imperio, & universo nomini Christiano.

Proinde vos auspicijs Imperij ipsius læta & fausta præcarni: Eiq; libenter obedite, ut decet principes & populos amantes publicæ tranquillitatis. Postremo cum ingentem luctum & mœrorem interitus Maximiliani attulerit, decet vos vim fati æquiore animo ferre, postquam nepos, quem ille charissimum habuit, & nobis aliquando commendavit, ipsi successit, ut non omnino extinctus videri possit. Deinde ipsius manibus hoc officium tribuite, ut majori studio nepoti pareatis, & consilijs vestris & copiis, suscipientem gravissimam Imperij molem, summa concordia adjuvetis. Quod eo etiam vobis faciendum est majore cura, ut Imperij possessionem retineatis, quam sine concordia tueri nequaquam possumus.

Cogitate autem quantum decus sit, unam hanc nationem delectam esse, quæ non tantum suos fines defenderet, sed custos esset etiam cæterarum gentium, & pro communi salute Christiani nominis præcipuam stationem teneret. Hoc decus magna virtute partum à majoribus, & annos fere jam octingentos in hac natione conservatum sapientia & concordia principum; nolite nunc per discordiam amittere, eaque in re cum vestra gloriæ & tranquillitati, tum vero salutis orbis terrarum consulite. Idque officium, principes & eos qui præsunt Reipublicæ,

publicæ, maxime debere Deo statuite, ut communi saluti omnibus viribus consulant.

Hæc renuncianti, populus cum plausu acclamabat. Nihil enim omnibus ordinibus erat optatius, quam eludi expectationem Gallorum, qui Imperium sibi desponderant. Itaque audito Caroli nomine, omnes una voce & consensu electionem approbabant. Agunt gratias Deo Opt. Max. primum quod metus civilium bellorum sublatus erat consensu suffragiorum: Deinde, quod omnes judicabant divinitus orbi terrarum salutarem principem datum esse. Omnes jam tum ominabantur hujus Caroli virtutem & felicitatem præsidio futuram toti Europæ: omnes vota faciebant, ut auspicia essent fausta & felicia.

Secundum hæc, legati ipsius Caroli Moguntia evocantur: qui magno honore excepti, atq; in comitium introducti, certius ex ipsis Electoribus cognoscunt: Divi Maximiliani nepotem, cujus ipsi legatos agebant, cunctis suffragiis rite electum, & renunciatum esse Romanorum Imperatorem. Deinde adhibiti in consilium ab ipsis Principibus consuluntur de gubernanda Imperij administratione: donec rebus in Hispania constitutis, Carolus in Germaniam veniret. Nam ipso procul absente efficiendum erat, ut Germania tranquilla esset: neve Gallicæ factiones, motus in Germania excitarent.

Delectus est igitur Casimirus Marchio Brandenburgensis, qui legiones certis in locis collocatas haberet in præsidiis, & duceret exercitum, si qua belli gerendi necessitas incideret. Adjuncti sunt Electores certi, quorum consilio uteretur. His rebus constitutis, legati dimittuntur: quos discedentes prosecuti sunt Principes Electores usque Moguntiam. Inde Francofordiam reversi, suos & ipsi Legatos cum literis ad Carolum mittunt: cuius legationis, Fridericus Palatinus Rheni, principem locum obtinebat.

Interea electionis nunciij magnis, diurnis nocturnisque itineribus in Hispaniam contendunt: è quibus unus eximia celeritate ceteros antevertens, nono die Barcinum (vulgo Barsellonam vocant) pervenit, ex eo quo Francofordia profectus est: cumque lætum exoptatumque nuncium illuc attulisset, à Rege, quem in cubiculo mane adhuc quiescentem invenit, magno auri pondere donatus est. Nec Fridericus Palatinus longam in itinere moram fecit. Nam pridie Calend. Decembris eodem pervenit: cumque ad urbem accederet Barsellonam, Rex cognito ejus adventu, ad tria ferme milliaria obviam ei processit. Legatis benigne & comiter exceptis, inque oppidum introductis, literæ Regi ab Electoribus scriptæ redduntur.

In literis primum inerat commemoratio benevolentia Principum erga Carolum, & officij. Cum autem Imperia fato regantur, narrabant divinitus hanc electionem gubernatam esse, ut suffragiorum concordiam, & universæ Germaniæ vota consentientia ostenderent: etsi ipsi etiam judicio suo de familia, deque ipsius virtute, neminem putarint ipsi antefendum fuisse. Huic orationi graviter scriptæ, adjecta erat petitio: ut Imperium sine recusatione acciperet: & constitutis rebus in Hispania, maturet iter in Germaniam. Carolus acceptis & lectis literis, cum existimaret se quasi divina voce tanto consensu totius Patriæ vocari: etsi videbat quanta rerum moles sibi imponebatur: tamen & Deo obtemperandum, & patriam non destituendam esse censebat.

Respondit autem Legatis per Mercurinum Oratorem: Huic enim summa laus eloquentiæ tribuebatur. Usus est igitur Mercurinus luculenta Oratione, atque hujusmodi verba fecit: Iure lætatur Rex Carolus, cum benevolentia, tum vero etiam gravissimo judicio summi Senatus, Germaniæ Principum;

pūm: qui tam dubio tempore, Imperij gubernationem ipsi uni, tuto commendari censuerunt. Quid enim aut gratius ei accidere potest? quam quod ab universa Patria se vere amari intelligit: aut honorificentius? quam quod sapientissimi Principes tantam ipsi virtutē tribuunt: & quasi divinantes, eam spem de ipsius fide & felicitate conceperunt, neminem ut ad hoc Imperij fastigium, quam ipsum, evehere maluerint.

Vicissim igitur & patriæ pietatem, & cognatis Principibus benevolentiam perpetuam pollicetur. Deliberantem autem de Imperio accipiendo diversæ curæ diu exercuerunt. Etsi enim magni animi est, non deterreri mole rerum, & magnitudine periculorum, quæ videntur impendere intuenti nunc Italiam, quæ à Gallis tenetur, nunc Turcas denunciante bellum Pannoniis: tamen cum verè sit divina res gubernatio, nec nisi aspirante Deo, felix esse possit, contanter & religiose Imperia accipienda sunt. Hæc etiam Hispania, etsi vires suas, quæ non sunt exiguæ, ad societatem rerum gerendarum offert: tamen ipsum Regem domi, velut in specula regni, assiduum esse mallet. Sed è regione durum videbatur, patriæ opem ab ipso imploranti deesse.

Movit etiam animum gentilium decus: atque honestum esse iudicat, avi & proavi exempla sequi. Et cum avus collapsus resurgens erexerit, cumque huic familiæ potitæ hoc fastigio, tantæ accesserint opes: arbitratur divinitus hanc familiam ad Imperij defensionem vocari. Postremo etiam principum Electorum votis & iudicio permovetur, ut rem omnium difficillimam, Imperij gubernationem, suscipere minus recuset.

Tam multæ graves causæ cum concurrerent: cumque divinitus se vocari ad Imperium, Patriæ consensu, statueret: tandem, quod felix faustumque sit, Imperium accipere Rex Carolus decrevit, & hanc voluntatem suam Dux Frideric à se

exponi Electoribus, & perferri in totam Germaniam postulat. Principio verò quod Regum sapientissimus Salomon unum optabat, id ipse quoque optat: cum humana sapientia non sit par tantæ gubernationi, ut Deus pectus & consilia ipsius in toga, & in armis regat: ac perficiat, ut Ecclesiæ & toti generi humano, hæc ipsius gubernatio salutaris sit. Meminit Rex Carolus, ex hac ipsa Hispania duos principes ad Imperium vocatos esse, Trajanum & Theodosium: quorum alter optimus appellatus est: alter non solum bonitate & armis Trajano par fuit, sed etiam hac laude excelluit, quod vere Deum coluit, ac perfecit, ut Evangelium latius propagaretur: & concordiam Ecclesiæ, pie, diremptis dissidijs, constituit. Hi duo Principes ex Hispania evocati, cum fuerint salutare orbi terrarum: lætatur omine.

Horum exempla sibi proponet: & annumerari laudatissimis Imperatoribus volet. Summa virtus majorum fuit in utraque familia, Austriaca & Hispanica. Horum similitudo in Regis Caroli natura & indole jam præclare lucet. Comitatur autem felicitas cum cæteris virtutes: tum vero præcipue pietatem erga Deum, quæ in rege Carolo eminet. Quare, spes est ejus gubernationem faustam, felicem, & salutarem fore orbi terrarum: & ut sit, omnes boni toto pectore vota facere debent.

Tu vero Dux Friderice ito, & Principibus Electoribus gratias agito: quorum cognovit eximiam erga se benevolentiam esse: ac voluntates eorum confirmato: & Imperatorem Carolum petere dicito, ut ipsi tanquam custodes publicæ pacis, sua fide, concordia, virtute, Germaniæ tranquillitatem tueantur, donec Imperator in Germaniam veniet, qui quidem adventum maturare quam primum decrevit. Hæc cum Mercurinus dixisset, tota curia lætitiæ plena, regi Carolo & Imperatori omnia fausta precabantur. Postea scriptæ sunt literæ ad Electores.

stores, in quibus Rex se Imperium accepisse profitetur, & de constituendo statu Imperij, nihil sine consilio Electorum facturum esse profitetur. Commemorat sibi benevolentiam ipsorum jucundissimam esse, & voluntates eorum confirmat. Postremo pollicetur etiam brevi se in Germaniam venturum esse. Ut igitur sollicitis Electoribus quam primum voluntas Caroli Imperatoris significaretur, Fridericus Palatinus amplissimis muneribus ornatus, statim dimissus est.

Cæsar autem initio veris ex Hispania solvens trajecit in Angliam, ubi à rege Henrico Octavo, non solum comiter pro ipsorum necessitudine & hospitij jure, sed etiam splendidissimo apparatu, exceptus est. Cumque fœdera inter duos Reges confirmata essent, Anglus pollicitus est, se Caroli coronationi interfuturum esse, honoris ipsius causa. Post paucos dies inde venit in Belgicum, cum magna frequentia omnium ordinum faultis eum omnibus excepit. Gratulantur reditum eo majore veneratione, quia jam virum cernebant principem, qui in Hispaniam ante annos aliquot admodum adolescens profectus fuerat. Optant læta & felicia Imperij auspicia. Commemoratur autem Rex Carolus aliquantisper in Belgico, tum ut civitatum suarum statum cognoscat, tum ut Angli adventum expectet. Sed hunc facile Rex Franciscus perpulit, ne Carolum comitaretur, ac sibi Anglum novis pactionibus adjunxit, quæ deinde magnas rerum conversiones attulerunt.

Tandem igitur Aquisgranum venit Rex Carolus, florem secum Burgundicæ & Belgicæ nobilitatis ducens. Et quamquam in oppido & vicinia grassabatur lues pestilens, tamen ne novi exempli autor esset, mutare locum coronationis noluit. Adveniēti obviam processerunt Electores, & fere omnes reliqui Germaniæ principes. Aderat & cœtus sacerdotum.

tum.

48 *DE ELECT. ET CORON. CAROLI V.*
tum, Caroli Magni monimenta gerens. Postero die, qui fuit
dies 12. mensis Octobris, coronatus est in æde majori Aquis-
grani, veteri ritu. Moguntinus & Coloniensis indutum tra-
bea ad aram adduxerunt. Dux Palatinus orbis figuram præ-
ferebat, Dux Saxonix enses, Marchio Brandenburgensis sce-
ptrum. Trevirensis vero more à majoribus accepto, Regem
unxit. Hic ad aram jusjurandum prælectum est. Deinde Co-
rona à Moguntino & Coloniensi imposita. Postea tradita
sceptrum & enses. His ceremonijs peractis, regium convivi-
um apparatus: in quo Electorum distributa sunt ministeria.
Astat Moguntinus codicillos & sigillum manu gestans, Mar-
chio Brandenburgensis Sceptrum: Regis Bohemici Legatus
pincernæ munere fungitur. Palatinus dapiferi. Interim in
foro Dux Saxonix avenam equitibus distribuit. Allatur &
taurus integer, refertus altilibus omnis generis, unde primum
coronato regi Romanorum apponitur ferculum. Post coro-
nationem Cæsar cum principibus Coloniam venit, ut de fu-
turo conventu colloquerentur, in quo de veteri more post
coronationem lex de pace communi renovatur, & de summa
Reipub. deliberatur. Decretum est igitur, ut ad Calen. Jan.
indiceretur conventus Wormatiæ. His actis, & Carolus
in Belgicum rediit, & cæteri principes in
suas ditiones discesserunt.

F I N I S.



E X

FRANC. GUICCIARDINI
HISTORIAR. LIBRO XIII.
EXCERPTA.

Hoc ipso anno cis id xviii Cæsar (*Maximilianus*) *Cal. Sec.* Imperij Rom. post obitum suum in alterum ex *Curione* nepotibus successionis firmandæ cupidus, cum *interprete* septemviris, ut unum ex illis Rom. regem (quem gradum qui est consecutus, Imperatore defuncto statim absque alia suffragatione vel confirmatione in Imperio succedit) crearent, agebat: & quia id antequam, qui Imperator designatus erat, Imperii coronam sit adeptus, fieri non potest, apud Pontificem, ut novo exemplo sibi per aliquos Cardinales ad id munus delegatos, coronam in Germania imponi curaret instabat. Et quamvis Cæsar Ferdinandum nepotem suum, quod major natu frater tot regna, tantamque potentiam obtineret, hoc gradu sustentari æquum censeret, & quo familia majorem splendorem conservaret, atque ob quævis adversa, quæ fratri accidere possent, duos potentes habere quam unum tantum melius esse ratus, in ea dignitate collocari antea exoptasset: tamen multis familiaribus, ac Sedunensi Cardinale præsertim, iisque omnibus qui Gallorum potentiam & formidabant & oderant contrarium svadentibus, priori sententia rejecta, ad Hispaniæ regem ad eam dignitatem promoveri curandum animum convertit.

Ostendebant enim illi, ad Austriæ familiæ amplitudinem

G

longè

longè utilius esse potentiam omnem in unum cumulare, quam ea in plures partes distributa, illos ad cogitata perficienda minus potentes reddere. Tanta & talia esse Caroli magnitudinis fundamenta, ut cum Imperii dignitate accedente, Italiam omnem & maximam Christiani Orbis partem sub unum Imperium redacturum esse sperari posset: quæ res non modo ad posterorum potentiam, verum etiam ad populorum tranquillitatem, & ob sacrosanctæ religionis hostes ad totius Christianæ reipublicæ commodum spectaret. Ejus munus esse de Cæsarea dignitate, quam tot annos ipse & Austria familia obtinisset, & quam (quum ad eam diem cum ob ipsius, tum majorum suorum tenuitatem, specie & nomine major quam re ipsa & tactis exstitisset) nisi in Carolum transferretur, ejusque potentia adjungeretur, erigi atque in pristinum splendorem revocari posse sperandum non esset, augenda & extollenda cogitare: cujus rei occasionem naturæ & fortunæ ordine oblatam, non debere ipsum impedire, sed potius augere. Veterum Imperatorum Cæsaris Augusti multorumque ejus successorum exemplis cerni, illos, cum liberis aliisque ex sua stirpe natis carerent, ut dignitas, quam ipsi obtinuerant, non extingueretur minuereturve studiosos, cognatione remotos, vel etiam nulla ex parte sanguinæ junctos, adoptionibus successores quesivisse. Recens esse Catholici regis exemplum, qui quum Ferdinandum ad se educatum, ut filium diligeret, neque unquam Carolum vidisset, imò illum in extrema sua ætate præceptis suis parum obtemperantem esse expertus, tamen ejus quem ut filium amabat, inopiæ minimè misertus, nullam ei tot regnorum suorum, ne ex illis quidem de quibus, cum ipsemet ea adquisivisset, ex arbitrio suo constituere poterat, partem dedisset: imò ei quem ferè tantum ut alienum agnoscebat, omnia legasset. Memoria tenere

Cæ.

Cæsarem se ab eodem rege semper, ut Ferdinando nova regna pararet, sed Imperium Carolo relinqueret hortatum fuisse: illumque ut successoris potentiam majorem redderet, consilio à multis improbato, & fortasse injusto, sed non aliam quam hanc ob causam, propriam familiam tam nobilem tamque illustrem Arragoniæ regno spoliassè, & contra omnium ferè commune desiderium, familiæ suæ nomen extingui & in nihilum interire permisissè.

Huic Cæsaris petitioni Galliæ rex, cui tot Hispaniæ regnis atque imperiis Cæsaream dignitatem, quæ viribus ex tanta potentia recuperatis omnibus formidabilis fieret, adungi molestissimum erat, omni arte atque industria intercedebat: idque & apud septemviros occultè impedire nitebatur, & apud Pontificem, ne novo exemplo Cæsari coronam mitteret, instabat: & ad Venetos, ut secum ad hæc consilia infringenda facerent, Pontificem & illos periculi ex tanta potentia ipsis imminentis admonens, legatos miserat.

Sed tamen septem viri jam magna ex parte in Cæsaris sententiam petraçti erant: & jam ferè de pecunia ab Hispaniæ rege eis in eum finem promissa certi (is enim bina millia auri pondo hanc ob causam in Germaniam miserat) nec honestè, nec forte etiam sine offensionis periculo, præteritorum exemplorum ratione habita id ei denegare poterant: nec Pontifex, quamvis ei molestissimum esset, ut cæsar in Germania per legatos Imperii coronam acciperet, quum Romam ad coronam capiendam proficisci, etsi cum majore sacrosanctæ sedis dignitate fieret, reliquas omnes ob causas magis ad ritum quam ad rem ipsam spectaret, recusaturus credebatur.

In his consiliis & actionibus sententia nondum à septemviris lata finem habuit annus *MDXVIII*. Ea vero deliberatio, Cæsaris qui anni *MDXXI*. initio obiit, morte magis

anceps ac difficilis est reddita. Obiit Lintii in Aſtriae fini-
bus, ferarum venationi, ut ſemper, intentus, eademque qua
ſemper ferè vixerat, fortuna comitante: quæ in maximis oc-
caſionibus ei oſtentandis cum liberaliſſima fuiſſet, an viciffim
quo minus eas adipiſceret ei adverſa fuerit, an potius iis quæ à
fortuna illi in domum importabantur, eum inconstantia, &
non ſatis moderata atque ab reliquorum hominum iudicio ſæ-
pe discrepantia conſilia cum immenſa pecuniarum profuſione
conjuncta, quæ illi omnes ſucceſſus & occaſiones frangerent,
privavit, nescio. Fuit autem alioqui princeps rei bellicæ peri-
tiſſimus, diligens, tacitus, laborioſiſſimus, clemens, benignus,
multisque egregiis dotibus atque ornamentis præditus.

Maximiliano mortuo, Galliae & Hispaniae rex aperte ad
Imperium adſpirare cœperunt: quæ controverſia etſi de
tanti momenti re, & inter tam potentes Principes eſſet, mo-
deſtè tamen inter eos tractata fuit, ita ut nec ad verborum con-
tumelias, nec ad armorum minas ventum ſit: ſed uterque ſua
autoritate & inſtrumentis, ſeptemvirum animos ad ſe allicere
nitebatur: quinimo Francus laudabili admodum conſilio,
ea de re cum Hispaniae regis legatis verba faciens, ut uterque
ipſorum, honeſta ratione ſe tantæ dignitatis, quæ diverſis
temporibus in ſuis majorumque ſuorum familiis fuerat, ſplen-
dore ornare niteretur, decere dixit: ſed non ideo alterum ſi-
bi ab altero injuriam fieri cenſere, vel benevolentiam neces-
ſitudinemque minui debere: imò exemplum, quod aliquan-
do in duobus alicujus eximiae puellae amore captis juveni-
bus cernitur, qui etſi eandem ament, & uterque illorum omni
arte & induſtria quantum poteſt adhibita, ea potiri nititur, non
tamen ideo aliquod inter eos diſſidium oritur, ab ipſis eſſe
ſequendum.

Hispaniae rex Imperium quod multos annos in Austria
domo

domo perseverasset, nec Semtemviris eum esse morem, defuncti posteros absque manifesta eorum indignitatis causa imperij dignitate privare, jure ad se spectare existimabat: nec aliquem in Germania tantæ vel potentia vel autoritatis esse, qui ea in re ipseus competitor esse deberet: neque æquum aut verisimile videri Septemviros tantam dignitatem, quæ jam à multis seculis in Germanica gente permanserat, in externum transferre velle. Quod si quis pecunia vel alia ratione corruptus, aliam mentem haberet; & se armis opportuno tempore paratis ei terrorem incussurum, & reliquos Septemviros sese opposituros, vel saltem ceteros omnes Germaniæ principes ac liberas civitates, tantam omnium ignominiam tantumque dedecus minime laturas sperare, præsertim si de ea in Galliæ regem transferenda ageretur: quod quidem aliud esset nihil, quàm regis ipsorum nationis hostis potentiam augere velle, unde certò sibi persuadere possent, eam dignitatem numquam in Germanicam redituram. Itaque quod ab avo agitatum fuerat, quum jam cum singulis septemviris de præmiis & donativis esset constitutum, perficere facile existimabat.

Ab altera verò parte Galliæ regis nec cupiditas, nec spes minor erat: quæ suffragiorum septemviralium maxima pecuniæ viemendorum opinione præcipuè nitebatur: quorum aliqui ipsi veteri amicitia & pensionibus addicti rei facilitatem demonstrantes, eum ad rem adgrediendam incitabant: quam spem (ut mortalium animi facile quod cupiunt, id etiam sperant) rationibus potius verisimilibus quam veris fovebat. Sciebat enim Germaniæ principibus nimiam Cæsarium potentiam, ne forte ea freti omnia vel saltem aliqua Imperii jura autoritatemque à multis occupata recognoscere vellent, esse molestam: idco illos nulla unquam ratione Hi-

DE ELECTIONE

45
 Hispaniæ regem, ne se ipsos omnium quotquot post priscorum
 Cæsarum memoriam fuissent, potentissimo imperatori spon-
 te subjicerent, admissuros persuasum habebat. Quæ qui-
 dem in ipso non per omnia similia videbantur: cum enim nec
 urbes nec veteres clientelas in Germania haberet, ejus po-
 tentia illis tam suspecta esse non poterat, qua etiam re in libe-
 ris civitatibus gentis gloriæ rationem non modo compensari,
 verum etiam, ut solent in hominibus proprii commodi sti-
 muli communis boni rationem longe superare, penitus oppri-
 mi existimabat. Multis præterea in Germania illustribus
 familiis, quæ se ad eam dignitatem idoneas ducebant, Impe-
 rium tot annos in eadem familia permanere, & id quod jam
 uni, jam alteri suffragiis tribuendum erat, in eadem stirpe
 fere hæreditario jure permanere cœpisse, quod is eligendi
 modus, quo à proximis ex defunctorum. Cæsarum stirpe re-
 cedere non auderent, successio adpellari posset, molestissi-
 mum esse norat sic ab Alberto Austro Imperium ad Federi-
 cum ejus fratrem, à Federico in Maximilianum ejus filium
 venisse: & nunc de eo à Maximiliano in Carolum nepotem
 transferendo agi: quæ Germaniæ principum studia & indigna-
 tiones, illorum inter se dissidia æmulationemque, cum sæpe
 in contentionibus accidere soleat, ut qui se aut eum cui ipse
 studet excludi videt, omni ratione posthabita, potius ad ali-
 quem externum adsumendum præceptus ruat, quam ut ei qui
 ipsius sententiæ est adversatus cedat, causæ suæ profuturam
 ei spem faciebant.

Præterea Francus Pontificem cum ob necessitudinem
 & benevolentiam quam se cum illo contraxisse existimabat,
 tum quia Carolum tam potentem Principem, quique cum
 regnum Neapolitanum Pontificio imperio finitimum habe-
 ret, ob Gibellinæ factionis procerum studium iter ad Urbis
 portas

portas usque appetum haberet, imperium quoque adipisci ei placere posse minimè credebat, sibi fauturum speravit. Neque hanc contra Carolum verissimam rationem sibi quoque adversam esse animadvertēbat: neque enim vel pontifici, vel cuivis alteri, Imperium cum Galliae regno conjunctum minus formidolosum quam in Carolo esse debebat: non si forte alter plura regna & plures provincias obtinebat, idcirco minoris alter erat faciendus, quod potentiam suam sparsam & in varia loca divullam non haberet, sed regnum collectum atque conjunctum cum populorum mira obedientia, & maximis opibus refertum: tamen cum id in se non perspiceret, quod facile cernebat in altero, ad pontificem conversus ut sibi, quo cum suis regnis semper ut proprio filio uti posset favore vellet, supplex ab illo petiit.

Hujus electionis causa, quod quemvis illorum Imperium adipisci ob Pontificatus & reliquae Italiae securitatem ei molestissimum esset, Pontificem vehementer angebat, cumque non tantam apud septemviros auctoritatem haberet, ut se multum ea proficere posse speraret, intam gravi re prudentiam & artes necessarias esse censuit. Galliae Regem à septemvirum aliquo delusum, nullam in ea re partem habiturum, nec vel in ejusmodi hominibus largitiones tantam vim, ut Imperium ex Germana gente in Galliae regem turpiter transferrent habituras, sibi persuaserat. Hispaniae regem quod ex eadem gente esset, ob praesentationem à Maximiliano coeptam, multasque alias ob causas, nisi validum admodum impedimentum illi inveniretur, facile id consequuturum censebat: id autem nulla alia ratione, nisi ut Galliae rex eadem instrumenta eandemque pecuniam, qua pro se ipso utebatur, ad unum ex septemviris proovendum converteret inveniri posse. Regi autem dum inani spe efferverceret, id per-

suasit

1vaderi nulla ratione posse videbatur. Idcirco illum quo ve-
 hementius & majori spe sese in eam prensationem immerge-
 ret, eo facilius ubi consilia sua irrita reddi animadvertete in-
 ciperet, se jam in æmulatione dejectum & irritatum animad-
 vertens, ad tertium quempiam non minori ardore quam pro
 se ipso fecisset, promovendum præcipitem ruiturum spera-
 bat. Interea vero fieri posse, ut ubi sibi apud regem quod ei
 faveret, quodque idem quod ipse exoptaret fidem concili-
 asset, autoritas consiliumque suum admitteretur: fieri etiam
 posse ut si initio Galliæ regis partes valide promoverentur,
 alter rex desiderio suo difficultates interponi animadvertens,
 & ne rex æmulus suus aliquam partem haberet, metuens,
 pari ratione in tertii alicujus sententiam se præcipitem daret:
 quocirca non modò se ut ipse Imperium adipisceretur sum-
 mopere expetere Galliæ regi ostendit, verum etiam multis ra-
 tionibus, ut in id vehementer incumberet, se illi tota Pontifi-
 catus autoritate ad futurum largissimè promittens est horra-
 tus. Cumque eam esse mentem suam, nulla alia ratione me-
 lius ostendere posse videretur, quam si eo in negotio hujus-
 modi hominem adhiberet, quem Gallus magis ex se quam
 ex quovis alio pendere existimaret, statim Robertum Ursi-
 num Rhegiensem archiepiscopum, hominem regi dedit, in
 suum in Germaniam internuncium cum hujusmodi manda-
 tis, ut & seorsim, & una cum regis procuratoribus qui illic
 erant, quantum posset apud septemviros ejus desiderium
 promoveret destinavit: monens tamen illum ut majore mi-
 noreve, prout in Germania septemvirum studia & rerum sta-
 tum inveniret, moderatione uteretur. Quæ à Pontifice pru-
 denter excogitata & summa simulatione recta, in Galliæ Re-
 ge & ejus ministris qui in Germania erant, majore prudentia,
 in Pontificis autem ministris majore gravitate & fide opus ha-
 bebant.

Sed

Sed dum hæc consilio & armis tractantur, Galliaæ Rex Petrum Navarum cum viginti triremibus aliisque navibus in quibus erant quatuor peditum mercenariorum millia, Maurorum audaciam, qui cum jam per multos annos nemine resistente maria nostra percurrissent, eo ipso anno plusquam antea prædabantur, reprimendi, & si Pontifici visum esset, Mauros in ipsa Africa adoriendi dolore, sed præcipuæ ut Pontifex qui se prorsus ipsi in Imperii causa favere declararat, Hispaniaæ regis, qui magis rerum suarum timore, quam alios laceffendi studio classem quam ad regni Neapolitani custodiam mitteret solícite adornabat, vires metuendi causam non haberet, è portu solvere jussit: & nihilominus cum in his suspicionibus & mutua diffidentia uterque rex in amicitia simulatione perseveraret, illorum nomine magnus Franciaæ magister & Ceures, in quibus singulis sui regis consilium & mens omnis sita erat, Montem pessulum, ut de secunda Galliaæ regis filiaæ cum Hispaniaæ rege matrimonio firmando, & multo magis ut de Navarra regno, cujus restitutio priori regi in pace Noviodunensi promissa, quamvis pro ea Galliaæ rex vehementer institisset, ab Hispaniaæ rege variis excusationibus ad eam usque diem dilata fuerat, decernerent, conveniunt: sed magni magistri mors, quæ antequam simul loquerentur incidit, hujus conventus spem sustulit. — —

— Reliqua erat Imperij controversia, quæ omnem Christianam remp. maxime suspensam habebat: in qua uterque Rex majore quam antea unquam contentione persistebat: & Galliaæ rex quotidiaæ magis ingentibus Brandeburgensis Marchionis Septemviri, qui ingenti pecunia promissa, & fortasse aliqua ex parte repræsentata, clam non modo juum, sed & Moguntini Archiepiscopi fratris sui, qui ex tribus Antisti-

H

tibus

tibus Septemviris unus erat, suffragium illi pollicitus fuerat, promissis allectus decipiebatur. Plurimum quoque rex sibi de altera Septemvirum parte pollicebatur: & si paria essent suffragia, in Bohemiæ Regis suffragio, quod reliquis sex, quorum tres sunt Antistites & tres Principes, dissidentibus controversiam dirimit, spem habebat. Idcirco maximam pecuniæ vim quæ Septemviris daretur, ad oræ maritimæ præfectum, quem Ammiralium vocant, qui antea hanc ob causam in Germaniam erat profectus, misit, & cum multas liberas civitates una cum Wittenbergensi duce iis qui Imperium in externum transferre vellent minantes, multos milites conscribere audiret, alias pecunias ut sese iis qui quo minus ipse eligeretur, prohibere vellent, armis opponeret, colligebat.

Sed magnum erat Germaniæ populorum, ut Imperii dignitas ex ea gente non removeretur, studium: quin etiam Helvetii Germaniæ communis patriæ amore ducti, Pontificem, ut nemini qui Germanici sermonis non esset, faveret rogarant. Is tamen Galliæ regi, illum si se tam pro eo vehementem ostenderet, majorem consiliis suis fidem habiturum sperans favebat: & tandem ut Imperii adipiscendi spe deposita, eodem ardore pro quovis alio ex Germaniæ Principibus procuraret, ei persuadere est conatus. Cujus consilii, quia Ammiralius & Robertus Ursinus, illorum qui ut pecuniam ex Gallorum manibus extorquerent certissimam spem faciebant promissis decepti, & factionis studio alter quod Gallico ingenio & regis minister esset, alter naturâ levis, & gratiæ sibi apud eum conciliandæ cupidus, occupati, quotidie magis illum levibus nunciis in spe confirmabant, nullum fructum retulit.

Quibus consiliis, cum ii penes quos non antiquiore consuetudine, ullâve firma ratione, sed Gregorii Quinti Romani Pontificis natione Germani autoritate Rom. Imperatoris eligendi

gendi jus est, veterem consuetudinem secuti, Francofurti quæ inferioris Germaniæ civitas est, convenissent, dum eligendi Cæsaris tempus ex ipsorum institutis in variis altercationibus præstolantur, ecce exercitus Hispaniæ regis, qui ad exercitum pecunia conscribendum, quam ad eandem Septemviris largiendam promptior fuit, jussu collectus, Francofurto quasi eos qui Septemviris vim adferre vellent prohibiturus esset adpropinquas, Septemviris qui ejus causæ favebant, animum auxit: nutantes in aliorum sententiam pertraxit: & Brandeburgensem qui Galliæ regi favebat, ita terruit, ut reliquorum consensus spe amissa, totius gentis odium & infamiam apud eam metuens, mentem suam aperire non sit ausus.

Itaque, cum ad deliberationem venissent, vigesima octava Junii die Carolus Austrius Hispaniæ rex, quatuor Septemvirum, hoc est, Moguntini & Coloniensis Archiepiscoporum, Comitum Palatini, & Saxoniam Ducis suffragiis Imperator est renunciatus: Sed Trevirensis Archiepiscopus Brandeburgensi Machioni suffragium dedit, qui & ipsæ de se tulit: neque dubium est, quin si ob suffragiorum æqualitatem res ad septimi indicium devenisset idem eventurum fuisset, quoniam Ludovicus Bohemiæ qui idem & Ungariæ rex erat, Carolo suffragium suum promiserat.

Ea res Galliæ regis & eorum qui in Italia ab illo pendent animam magnopere depressit & contra iis qui contrariam spem consiliave habebant, cum tantam potentiam in uno principe eoque juvene, & cui maximum Imperium & mira felicitas multis vaticiniis portendi audiebatur, conjunctam viderent, spem auxit. Et quamvis non perinde ut Galliæ rex pecunia abundaret, tamen exercitus suos Germanico Hispanicoque peditatu, qui magnæ existimationis & virtutis erant, replere posse maximi fiebat: quod in Galliæ rege

contra accidebat: nam cum in regno suo pedites quos his opponeret non haberet, gravibus bellis, nisi maximo sumtu, & nonnuquam difficultate ab exteris nationibus pedestres copias conduceret, sese implicare non poterat: quæ res eum magno sumtu & diligentia Helvetios demulcere, & multa ab illis ferre cogebat, cum tamen nunquam de constantia fideque illorum certus esset.

Neque ulli dubium erat, quin inter duos principes juvenes, & inter quos multæ erant æmulationis ac controversiarum causæ, tandem gravissimum bellum esset exoriturum. Galliæ namque regi regni Neapolitani, in quo se jus habere existimabat, recuperandi desiderium in animo fixum hærebat: & ut Joanni regi Navarræ regnum restitueretur, quæ de re tandem vanam sibi spem factam animadvertibat, illi curæ erat. Cæsari vero annua mille auri pondo Novioduni promissa solvere molestum, & regem conventionem antea Lutetia facta contemta, suæ in Hispaniam necessariæ profectio- nis occasione immoderatè usum se ferè ad novam pacationem coëgisse censebat. Semper inter eos recenserat Geldren- sium ducis causa: quæ sola, quod rex Galliæ ejus patrocini- um sustineret, quem Flandri sibi inimicissimum judicarent, eos ad arma concitare poterat. Sed præcipue Burgundiæ Du- catus à Ludovico XI. Caroli Burgundiæ Ducis, qui Cæsaris patris maternus avus fuit, mortis occasione occupatus, sem- per eorum qui successerant animos excrucieverat, arden- tissimis aculeis novi Cæsaris animum pungebat. Neque Me- diolanensis imperii causa stimuli seu controversiarum semi- na deesse poterant: Cujus nomine cum hic rex post Ludo- vici duodecimi mortem diploma nec obtinisset nec petiisset, multæque tum quod non esset validum, tum quod causa excidisset, exceptiones contra jura ex diplomate defuncto regi

regi concessio manantes prætexerentur, hoc ad bellum inter eos excitandum satis esse videbatur. Sed tamen eos tunc aliquem motum concitare nec tempora, nec occasiones patiebantur: nam præterquam quod Cæsari, ut Aquisgranialiorum Imperatorum more coronam caperet, in Germaniam redire erat necesse; accedebat, quod cum uterque illorum potens esset, mutuae offensionis difficultas eos à bello antequam ceterorum principum, & præsertim si bellum in Italia esset gerendum Pontificis mentem exploratam haberent, inferendo retinebat. Pontificis vero mens simulationibus artibusque recondita, quamvis potius quod id nisi ejus animo graviter offenso denegandi occasionem non haberet, quam libera voluntate, Carolo contra regni Neapolitani diplomatis leges, quibus è veterum diplomatum forma id ei expresse interdicebatur, Imperii ad se delati accipiendi potestatem concessisset, nemini erat nota, ac ne ipsi quidem fortè semper constabat.



EX

ARNOLDI FERRONI DE REBUS
GESTIS GALLORUM LIB. V.

Dum comitia habentur de Cæsare deligendo, visa res est non indigna Gallica majestate. Itaque candidatum se mox Rex ostendit, quadraginta millia nummum aureorum mittens ad concilianda sibi suffragia: missus Joannes Langiachus ad Poloniæ regem. Prensabat unus Federicus Dux Saxoniae sine fuce more Germanico. Acrior erat competitor Carolus Maximiliani nepos rex Hispaniarum, Austriaeque familia commendatus. Fuit legatorum Gallicorum

H 3

tarda

tarda prensatio; nam passim ita negabant, ut Carolo se debere profiterentur. Pontifex aperte Gallo favebat, si quid conferre potuisset in eum. Jam Ludovica Sabaudiana Regis mater sollicita erat de infulis imperii, apparatu pompaque solenni. Arturus Goufierus praefectus praetorio missus erat ad res tentandas: is re nondum expedita in itinere obiit, non sine regis querelis, qui eo familiarissime utebatur. Lentum negotium, sed tamen erat in spe. Designatus tandem Caesar Carolus Austriacus, Erardo Marca maxime adnitente, qui palam in mores Galli multum conferebat: levissimis de causis, ille hostis, cum pater & fratres Gallis amicissimi essent. Et Leo Pontifex per Thomam Cajetanum unum e purpuratis admonebat Germanos, prohiberi Carolum Imperii petitione, cum veteri professione unus idem & Romanum imperium & Neapolitanum retinere non posset. Itaque eo nomine postea is legibus solutus est, aucta etiam Pontifici Neapolitana pensione. Franciscus Sammarfallus, cujus consilio in consuetudine quotidiana magnopere rex delectabatur, celeriter mutatis equis ad Pontificem missus, spe Regem ipsum rediens impleverat.

*


De Saxoniae Duce Friderico, cujus meminit Ferronus, ita Erasmus Roterodamus ad Joannem Episcopum Rossensem, epistolarum l. XIII. ep. 4.

Dux Saxoniae Fridericus bis ad me scripsit: — — —
Ab omnibus delatum Imperium ingenti animo recusavit, idque pridie quam Carolus eligeretur, cui nunquam contigisset Imperii titulus, nisi Fridericus de precatus esset, clarior honore contempto, quam fuisset, adepto. Mox rogatus, quem igitur censeret eligendum, negavit sibi quenquam alium videri tanti nominis oneri sustinendo parem, quam Carolum

POLYDORI VERGILII ANGLIC. HISTOR. LIB. XXVII.

Supra memoravimus Ferdinandum regem è vita discessisse, Sex quo Carolus in Hispaniam transiit, ad provinciam ordinandam: at non multi intercessere menses, cum alterum paternum avum Maximilianum amisit, à quo factus est hæres, cum Ferdinando fratre, cui Austria, id est, superior Pannonia, illius testamento evenit, qui eo sine mora à Carolo mittitur, non quo id negotium celeritatem requireret, sed ut ne sibi in constituenda Hispania impedimento foret: nam adolescentem eodem loci natum Hispani in oculis ferebant, adeo ut si per jus licuisset, sibi regem optarent. Secundum Maximiliani mortem, Electores more suo Franconiam conveniunt, age-reque incipiunt, quem potissimum renuntient Imperatorem futurum: hinc enim Carolus, illinc Franciscus Gallorum rex id decus petebat, & pro se summa quisque ope ad illud aspirare nitebatur ac per literas nuntiosq; Henricum regem orabat, ut se apud Electores juvaret. Henricus qui Francisco recenti necessitudine conjunctus erat, & Carolo amicissimus, ut unius pariter atque alterius studiosus videretur, quam primum misit Ricardum Pacæum Franconiam, qui ita amicorum causas tractaret, ut ab utroque sibi gratia haberi posset. Tandem magna vi expugnatum, ut Carolus designaretur Imperator, id quod Henrico longe jucundissimum fuit, qui cum Cantuariensi archiepiscopo egit, ut ille ob id, Deo optimo maximo gratias agendas statuens, jussit sacerdotes in omnibus templis divinum canere hymnum, cujus initium est, Te Deum laudamus. Hæc mense Junio, & eo anno qui fuit salutis humanæ M D XIX, acta sunt.

lum. Ob hunc insignem animum à nostris oblata tringinta florenorum millia constantissime rejecit. Quumque urgeretur, ut saltem decem millia pateretur dari famulis: Accipiant, inquit, si velint, attamen nemo manebit postridie apud me, qui vel aureum acceperit; ac postridie conscensis equis sub duxit sese, ne pergerent esse molesti. Hoc mihi ut comperitissimum retulit Episcopus Leodiensis, qui comitiis imperialibus interfuit.



EX

JAC. AUGUSTI THUANI HISTOR.

LIB. I.

AT Maximilianus jam fractus annis cum de successore in Imperio cogitaret, comitia Augustæ, quæ ultima sub eo fuerunt, eodem anno (CIS IO XVIII.) habuit, in quibus Carolum nepotem multis verbis commendavit, precibusque ab Imperii VII Viris contendit, ut eum regem Romanorum crearent. Re infecta discedens cum in Austriam rediret, in itinere Lintii pridie Eid. Jan. (CIS IO XIX.) decessit. Inde orta contentio inter Franciscum & regem Catholicum, sic enim post Ferdinandi avi materni mortem Carolus appellabatur, Moguntino præsule Caroli parteis, Trevirensi contra Marchionem Brandenburgicum adjuvante. Tandem electus Carolus Rex Romanorum, quod & Germanus esset, & in Germania domicilium haberet, frustra reclamante Trevirensi, & fatum se Germaniæ & impendentem tuinam animo prælagire dictitante. Nec augurio tanti viri eventus defuit. Suffragatorum venaleis sententias fuisse constans fama fuit, magnaq; invidia Septemviri laborarunt, quod ab utroque principe accepta ingenti pecunia ac præcipuè à Francisca

cisci ministris, tamen Carolo, ac non potius cuivis ex suo collegio Imperatoriam dignitatem adjudicassent. Nam in ea petitione non tam id agebat Gallus, ut ratio sui haberetur quam ut excluso Rege catholico, cuius potentiam merito suspectam habebat, unus ex vii viris aut quilibet ex aliis principibus Germanis imperator crearetur. Quippe cum Franciscus de recuperatione regni Neapolitani & Henrico Labretano Iohannis F. in Navarrae regnum restituendo cogitaret, providebat fore, ut Pontificis animus, cuius in ea expeditione opera & opibus indigebat, mutata fortuna, quam fere semper innata vanitate an perfidia sequebatur, facile ab iis consiliis averteretur. Nec dubitabat, quin Carolus magnæ spei juvenis nova tantæ potentiæ accessione auctus de Burgundiæ imperio, quod Mariæ aviæ à Ludovico xi. ademptum jam pridem querebatur, acturus esset, & ad Gallos Mediolano dejiciendos, quibus nullum jus ab Imperatore in eo competeret, nisi quod armis parassent, opes omnes quamprimum conferret. Accedebat vetus & implicabile odium Burgundicæ domusiu Carolum Egmondanum ducem Geldriæ, quem Franciscus tutandum susceperat: qua re cum maxime offenderetur Carolus, iudicabant omnes, non diu inter emulos principes in ætatis flore constitutos, & privatarum simultatum stimulis incensos mansuram concordiam. Nec Franciscus opinione sua falsus est. Nam cum Leo Lutherum sacris interdixisset, & inaugurationem Caroli in regem Romanorum, contra clausulam, qua reges Neapolitani in fidem à Pontificibus Rom. accipiuntur, adprobasset, primis comitiis, quæ novus Cæsar anno sequenti Vormatiæ habuit, ut Leonis gratiam aucuparetur, Lutherum item proscripsit, & inito cum Pontifice fœdere de Gallis Insubria atque adeo tota Italia expellendis continuo consilium cepit.

E X

S. ROMANI IMPERII PRINCIPUM
ELECTORUM RESCRIPTUM

Datum Cardinali Legato Romani Pontificis,
volentis leges præscribere Electoribus super electio-
ne futuri Imperatoris; in conventu collegiali
Vesaliæ ad Rhenum

Anno cl^o Is XIX.

*ExGol-
dast.
Constit.
Imper.
Tom. 1.*

Legatus, assistente sibi Archiepiscopo Rhegino, &c. no-
mine Sanctissimi Domini nostri post imprecatam Principi-
bus Electoribus salutem & oblatam Apostolicam benedictio-
nem, proposuit tria, ut sequitur.

Primo, Principes hortando & animando, ut in statu jam
fluctuantis Reip. Christianæ de optimo Principe, Rege Roma-
norum in Imperatorem eligendo cogitare vellent, qui aucto-
ritate, potentia, rerum gerendarum peritia valeret, & in omni-
bus optimum ducem, optimum Senatorem præ se ferat.

Secundo, ut Regem Neapolitanum, cujus regni proprie-
tas ad Ecclesiam Romanam spectat, nullo pacto in Romano-
rum Regem eligant, obstante sibi defectu inhabilitatis & ine-
ligibilitatis ex constitutione Clementis IV. id quod plurimis
fortissimis argumentis & efficacissimis rationibus, clarissimis
exemplis comprobavit, quæ omnia repetere longum esset.

Tertio, quia specialiter imo individualiter sententia san-
ctissimi Domini nostri Principibus est enodata, petit Legatus,
ut similiter, clarè, expressè, & individualiter responsum cer-
tum, clarum, non involucrum aut ambiguum per affirmatio-
nem vel denegationem, ac per Principes etiam non collegia-
liter congregatos detur, ut S. D. N. certiorari de eorum vo-
luntate possit.

RESPON-

RESPONSUM PRINCIPUM ELECTORUM.

Reverendissimi & Illustrissimi Principes hic congregati ob causas & hostiles motus reprimendos, qui in territoriis & dominijs post jam vacans Imperium emerferunt, & ut pejora emergant, indices verentes, huc Wesaliam convenerunt: de futuro autem Romanorum Rege eligendo in nullo solliciti. Quare ad petita Reverendæ dominationis suæ responsum dare non possunt. Sed sibi Reverend. dominatio sua & omnium proximus sanctissimus Dominus noster Leo Pontifex Maximus persvadeant indubitatissime, quod ubi ad Romanorum Regis electionem per Reverendissimas & Illustrissimas dominationes eorum processum fuerit, eos tunc cum in Regum electuros, qui sit gloriæ & honori sanctæ Sedi Apostolicæ, utilitati & emolumento Reip. Christianæ, incremento sacro Romano Imperio, hostibus Christiani nominis formidini & omni posteritati futurus admirabilis.

Mirantur non minus Principes Electores, sanctissimi domini nostri institutum, id quod ævo nostro electionum temporibus ab aliquo Romanorum Pontificum auditum est nunquam maxime hoc modo propositum, ut Electoribus legem præscribat, jubeat, vetet. Sperant beatitudinem suam aliàs clementissimam, futuram illam Romanorum Regiselectionem boni æquique consulturam.



CAROLI HISPAN. REGIS ET
ARCHIDUCIS AUSTRIÆ

Mandatum Procuratorium, ad Principes Electores super sua electione acceptanda & præstanda.

Carolus Dei gratia, Rex Castellæ, Arragonum, &c. Archidux Austriae, dux Burgundiæ &c. Notum facimus tenore præsentium

præsentium universis & singulis, ad quos præsentis nostræ literæ perve-
nerint, quod cum nunc post molestissimum obitu Cæs. Majest. Domi-
ni atque avi nostri colendissimi, alius Romanorum Rex sive Impera-
tor sit eligendus, & sacri Romani Imperij Electores pro hujusmodi
electione facienda, fide dignorum testimonio convenire intelligen-
mus, possetque contingere, cum nos è Germano sanguine orti simus,
& tot tantaque dominia nunc in Germania tanquam Archidux Au-
striae, possideamus, & prædecessores nostri Romanorum Imperatores
hoc ipsum Romanorum imperium in multis annis bene & feliciter
administraverunt, atque etiam, quod nos, si hanc Imperialem digni-
tatem Regnis atque opibus nostris conjunctam haberemus, non so-
lum sacrum Rom. Imperium augere & sustentare, sed universæ Reip.
Christianæ, cui nunc Selimus Turcarum Rex, Asia Africaque devi-
dis, hostis imminet, saluti prospicere & consulere possimus, ut iidem
sacri Rom. Imperij Principes de nobis electionem in Regem Roma-
norum facerent, & ex antiqua consuetudine quilibet Rex, Princeps
sive Dominus, qui per eosdem Electores Romanorum Rex electus fu-
erit, in futurum Romanorum Imperatorem coronandus, quam pri-
mum post electionem factam absq; omni protractione & mora imme-
diate debeat in electionem hujusmodi consentire, ac decretum super
ea ab eligentibus petere, & acceptare, juramentum debitum & con-
suetum præstare; nec non ipsis Principibus Electoribus, priusquam se
ingerat administrationi Regni sive Imperij, omnia eorum privilegia
confirmare & approbare: nec non quædam alia obire, facere & adim-
plere, quæ approbata sunt frequenti & solito usu circa hujusmodi
tempus electionis fieri debere.

Nos vero admoniti divino oraculo: *Honorem tuum alteri ne dederis,*
si & in quantum electio præfata de nobis facta fuerit, divina aspiran-
te gratia, à qua omnis emanat dignitas & potestas, pro beneficio to-
tius Christianæ Reipublicæ, pace & tranquillitate ac decore Nationis
Germanicæ, hujusmodi honorem & fastigium solij Romanorum Re-
gis acceptare, omniaque & singula præmissa & alia facere & præstare,
quæ fieri debent, & consueverunt ratione electionis, deliberavimus.
Et cum id propria persona nequeamus, de probitate fidei, constantia
etque rerum experientia Reverendissimi in Christo Patris, Domini
Matthæi

Matthæi sancti Angeli sacre Rom. Ecclesie Diaconi Cardinalis Gurcensis, Coadjutor Salzburgensis, ac Illustrium Principum Friderici Comitis Palatini & Ducis Bavarie, & Casimiri Marchionis de Brandenburg, & Reverendorum Dominorum in Christo Patrum Principum Erardi Episcopi Leodiensis, Ducis de Bullon, ac Comitis de Los, & Bernardi Episcopi Tridentini, & Illustris Heinrici Comitis de Nassau, Consanguineorum nostrorum; ac etiam Magnificorum, Nobilium, Spectabilium, fidelium nobis dilectorum, Maximiliani de Berges, Domini de Senenberg, Militis Ordinis nostri Aurei velleris, Burcardi de Plana, Domini de Laroche, Cypriani de Serentein, Cancellarij nostri Tyrolensis, Pauli de Arnsdorff Commendator Ordinis S. Jacobi de Spata, Jacobi Villinger, Nicolai Ziegler, & Iohannis Renner, Camerariorum, Consiliariorum & Oratorum nostrorum plenam habentes & indubitam confidentiam, ex certa nostra scientia, omnibus melioribus modo, via, jure, casu atque fortuna, quibus melius & efficacius possumus & valemus, fecimus & constituimus & ordinavimus, ac facimus & constituimus tenore presentium eos & quoslibet tres eorum in solidum nostros veros, certos & legitimos ac indubitatos mandatarios procuratores, actores, factores, & premissorum ac infra scriptorum negotiorum gestores ac nuncios generales & speciales, cum plena facultate substituendi totiens, quotiens eis oportunum visum fuerit, & quicquid magis & melius dici & esse potest, ita quod ipsi omnes aut major pars, vel tres saltem ipsorum, vel alij ab eis substituti nostro nomine, loco & vice (sicut eis vel saltem tribus eorum nostram omnimodam & plenam Potestatem, facultatem, auctoritatem tenore presentium damus, concedimus, elargimur, & datam, concessam & elargitam esse dicimus & volumus) in prefatorum sacri Imperij principum Electorum omnium vel eligentium sive majoris eorum partis de nostra persona factam electionem & creationem in Romanorum Regem libere & aperte consentiant, & voluntatem nostram prestant, decretumque super hujusmodi electione petant & exigant, petitumque & obtentum acceptent, & super acceptato in animam nostram corporale juramentum in Romanorum Regem Electo, cum omnibus & singulis clausulis, articulis & verborum expressionibus in tali juramento comprehensis, debitis &

consuetis: ac etiam quæcunque alia necessaria iuramenta præstent & faciant: circaq; administrationem & Regni gubernationem tempore absentia nostræ cum eisdem Electoribus prosequantur & conveniant.

Quodque omnium Principum Electorum tam Ecclesiasticorum quam Secularium omniaq; eorum privilegia, literas, jura, libertates, gratias, immunitates & consuetudines, dignitates & prærogativas, & omnia, quæ ipsi & quilibet eorum pro se usque ad diem electionis de sacro Romano Imperio obtinuit, consecutus est, possedit, & in usu habuit, obtinent, possident & utuntur per literas sub nomine & sigillo nostro, quod eorum fidei commississimus, confirment, approbent & robovent. Nosque obligent & devinciant, quod nos, postquam Imperiali diadimate coronati fuerimus, iterum hujusmodi confirmationem sub titulo Imperialis Majestatis nostræ renovare, ac etiam tanquam Romanorum Rex & futurus Imperator prænominos Principes Electores Ecclesiasticos & Seculares in communi, & quemlibet eorum in speciali, in eorum privilegiis, juribus, jurisdictionibus, minime impedire, aut ea diminuere, sed potius omnia & singula clementer adaugere juxta continentiam Aureæ Bullæ, & obligationum desuper factarum. Et quod hæc omnia præmissa, quamprimum ad sacri Imperii loca in Germania pervenerimus, denuo confirmare, renovare ac ratificare per manus nostræ subscriptionem debeamus & velimus.

Et generaliter omnia alia & singula, quæ ad augmentum sacri Imperij & Germanicæ nationis, ac conservationem & securitatem liberæ electionis præfatorum Electorū ex nunc inantea perpetuis futuris temporibus concernunt, spectant & attinent, faciant, promittant, obligent, gerant, adimpleant, in præmissis omnibus & singulis, & eorum quolibet, nec non connexis eorundem & emergentibus, quæ veri, legitimi & in dubitati mandatarij, procuratores, negotiorum gestores & nuncij tam generales, quam speciales & amplam potestatem habentes, facere & gerere possunt, & quæ nos ipsi, si personaliter adessemus, prout negotiorum merita, status & conditiones ac obligationum quarumcunque tenor requirunt, facere & gerere possemus. Et si mandatum exigant magis speciale, quod eisdem vel tribus eorum in solidum, ac si de verbo ad verbum in debitis & requisitis clau-

lulis

fulis præsentibus insertum foret, traditum & concessum esse volumus, promittentes in verbo Regio, & sub bona fide nostra, ratum & gratum habituros, quicquid per præfatos nostros mandatarios, procuratores & nuncios, vel ab eisdem substitutos, in præmissis vel circa, actum, factum, promissum & conventum, obligatum & gestum fuerit, fideliter observaturos, nec ullo tempore directè vel indirectè, clam vel palam, contraventuros. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum & sigilli nostri appensione roboratarum. Datæ in civitate nostra Barchinone, die octava mensis Martij, Anno Domini MDXIX. Regnorum nostrorum quarto.

CAROLVS

per Regem.

HANNART.



ELECTI ROMANORUM REGIS ET
IMPERATORIS

*EGoldast.
Constit.
Imperial,
Tom. II.*

Pacta sive Articuli obligationis præstandæ

Principibus Electoribus, Francofurti in electione
& Aquisgrani in coronatione.

Tueatur Rempubl. Christianam, Pontificem & Ecclesiam Romanam, cujus sit Advocatus.

2. Ius æqualiter administret, & paci consulat.
3. Leges omnes Imperij, præcipuè quam Auream vocant Bullam, non modo confirmet, sed de ipsorum consilio, cum res ita feret, amplificet etiam.
4. Senatum in Imperio constituat, ex Germanis delectum, qui Rempublicam gerat.
5. Iura, privilegia, dignitatem Principum & Ordinum Imperij minimè convellat aut imminuat.
6. Electoribus liceat, cum erit opus, inter se convenire, deque republ. deliberare: nullum autem ipse, quo minus

id

id faciant, impedimentum eis inferat, nec in malam partem accipiat.

7. Multitudinis & Nobilitatis fœdera vel societates ini-
tas adversum principes, aboleat, & ne tales in posterum fiant,
lege prohibeat.

8. De rebus Imperij nullum fœdus aut pactum faciat
cum externis, nisi de Septemvirorum assensu.

9. Facultates Imperij neque distrahat, nec oppignoret,
nec alio quovismodo deteriores faciat; & quæ sunt ab alijs
nationibus occupata, vel ab Imperio difulsa bona, primo
quoque tempore recuperet, sic tamen, ne quid fraudi sit illis,
qui vel privilegio vel jure nituntur.

10. Si quid etiam vel ipse, vel ipsius familiæ quispiam
possideat, quod sit Imperij, non acquisitum legitime, reddat
interpellatus à Septemviris.

11. Cum vicinis alijsque Regibus pacem & amicitiam
colat, neque pro rebus Imperij, nisi de Ordinum omnium,
præcipuè Septemvirorum voluntate, bellum suscipiat ullum
intra vel extra fines Imperij. Peregrinum quoque militem
nullum in Germania adducat, nisi consentientibus illis. Quod
si autem bello petatur ipse vel Imperium, liceat uti quibus-
cunque præsidiis.

12. Conventum Imperij nullum edicat, neque vesti-
gal aut tributum imperet, nisi de consensu Electorum. Con-
ventus etiam non agat extra fines Imperij.

13. Negotijs publicis præficiat non externos, verum Ger-
manos ex Nobilitate delectos. Et conficiantur literæ omnes
Latino vel populari sermone.

14. Extra fines Imperij nullum Ordinem in jus vocet.

15. Quia Romæ multa fiunt adversus pacta quondam
inita cum Pontificibus, det operam apud Pontificem ne qua
fraus privilegijs fiat & Imperij libertati.

16. Quo-

16. Quomodo mercatorum monopolia, valde perniciofa Germaniæ, coherceri debeant, rationem ineat cum Electoribus, ac rem sæpe deliberatam ad exitum perducatur.

17. Portorium nullum aut vectigal imponat, nisi assentiantur Electores, neque literis commendatitiis Electorum, qui sunt ad Rhenum, vectigalia deteriora faciat.

18. Si quam habet actionem in aliquem Ordinem, legibus experiatur; vim autem nullam adhibeat ijs, qui se cognitioni legitimæ sistunt.

19. Neminem indicta causa proscribat, sed juris ordinem in eo sequatur.

20. Imperij bona, quæ forte vacabunt, nemini conferat, sed ad publicum patrimonium referat.

21. Si quam alienam provinciam auxilijs Ordinum acquirat, Imperio jungat. Si publicum quid suis copiis atq; Marte recuperabit, Reipub. restituat.

22. Quod Interregni tempore Palatinus atque Saxo publice egerint, ratum habeat.

23. Consilium nullum ineat, quod dignitatem Imperij, suæ familiæ peculiarem & hæreditariam faciat, sed liberam & integram permittat Septemviris eligendi facultatem, juxta Caroli IV. legem, & juris Pontificij præscriptum. Quod secus factum erit, irritum habeatur.

24. Ubi primum licebit, in Germaniam sese conferat, in augurationis causa, si extra Germaniam consistat.

**CAROLI V. IMP. AUG. JURAMEN-
TUM POST IMPOSITAM SIBI CORONAM
REGIAM AQUISGRANENSEM.**

Profiteor & promitto coram Deo & Angelis ejus, à modo
& deinceps legem & justitiam pacemq; sanctæ Dei Ecclesiæ
K servare,

*EGoldast.
Tom. I.
Constit.
Imperial.*

servare populoque mihi subiecto prodesse, & justitiam facere, & conservare jura Regni salvo condigno divinæ misericordiæ respectu, sicut cum consilio Principum & fidelium Regni atque meorum melius invenire poterō.

2. Sanctissimo Romano Pontifici, Ecclesiæ Romanæ, cæterisque Pontificibus & Ecclesiæ Dei condignum & canonicum honorem volo exhibere.

3. Ea etiam, quæ ab Imperatoribus & Regibus, Ecclesiis seu Ecclesiasticis personis collata sunt, & erogata, inviolabiliter ipsis conservabo & faciam conservari.

4. Abbatibus & Ordinibus, vasallis Regni, honorem congruum volo exhibere, Domino nostro Jesu Christo mihi præstante auxilium, fortitudinem & decorem.



CAROLI V. IMP. ET FRANCISCI
GALL. R. COLLATIO

EX

FRANC. BELCARI Comment. rerum
Gallicarum lib. XVI.

AT Carolus Quintus Imperatorum post Carolum Magnum potentissimus id fortasse (*loquitur de Imperio Germanico*) in pristinam dignitatem restituisset, nisi Franciscum æmulum primum, deinde hostem fere semper expertus fuisset. Sed quoniam ij duo potentissimi principes implacabili odio inde concepto post ea exarserunt, & totum Christianismum sua pertinacia perturbarunt, utriusque naturam describere non alienum erit. Franciscus sexennio & aliquot mensibus natu major excelsa admodum statura, ac quadrata fuit, tibijs tamen ad tantam corporis molem sustentandam exilioribus, lata fronte, acribus oculis, naso oblongo, & paullatim adunco, capillo, barbaq; nigra, colore nihilominus prope lacteo, ac suavis; decora facies & Regiam majestatem, & conjunctam en majestate

jestate humanitatem præ se ferebat. Corporis dotibus animi dotes respondebant: felix ingenium ad quidvis adprehendum habile, ingens memoria, vernaculæ eloquentiæ facilitas ac mira vis: quas virtutes crebra cum viris doctis familiaritas, & curiosa de omnibus artibus non solum ingenuis, sed & de iis, quæ magis ad opifices pertinent, in percunctando audiendoque sedulitas, plurimum ornabant, tantumque temporis successu profecit, ut totius fere naturæ gnarus videretur. Hinc viros doctos plurimi semper fecit, atque honoribus & dignis præmiis ornavit. Quo rerum potente in primis bonæ literæ antea ferè incognitæ in Gallia nostra floruerunt: itaque magnam regni initio de se expectationem concitavit.

At in præclaro ingenio duo vitia, alterum virtuti similis ingens gloriæ cupiditas; alterum ad bruta magis accedens, insana ad fruendas voluptates libido regnabant. Hinc ad omnem ostentationem compositus, & de se nimis magnificè sentiens aulicis adulatoribus plurimum se dedit: Multa bella suscepit, & avocante aut potius rapiente libidine, bonamq; Regiæ gazæ partem dissipante infeliciter gessit. Hinc plebem novis pecuniarum indictionibus inconsultis tribus Galliarum ordinibus, ut olim moris fuit, vexare, veterem Galliæ libertatem imminuere, sibi nimium multa permittere coactus est. Hinc se Gallos Reges ex ephebis eduxisse, atque è tutorum potestate exemisse sæpenumero jactabat. Illi enim antea majora negotia, & ad rem Galliarum publicam spectantia non nisi de Principum consanguineorum, ac duodecim patriciorum consilio expedire, nihil à plebe, nisi ex trium ordinum consensu, exigere solebant. Hic aliam viam sequutus est, quam ejus posterum ingredi potius quam Regum antiquorum vestigiis insistere maluerunt.

Carolus statura quoque quadrata, sed mediocri, capillo flavo, colore niveo, labro inferiore paulo latiore atque in mentum prominente, facie oblonga ac subtristi, sermone raro, gestu moderato, non eam initio quam mox præstitit, de se expectationem dedit. Is vix dum pubes Guilielmo Crojo Ciuriano tutore ita instituyente gerendis negotijs adsvetus, & publicis consilijs adhibitus ac præclare educatus prudentis potius quam bellatoris principis indolem præ se tulit. Itaque primum non per se, sed per legatos bella gessit, ac demum

duos & triginta natus annos adversus Solymanum Turcarum Imperatorem Viennam Austriacam circumfidentem prima militiae suae rudimenta edidit: Quamquam antea feliciter per varios duces multa ac gravia bella confecerat, in primisq; Franciscum Regem per Carolum Borbonium ultimum Bojorum regulum sui exercitus imperatorem, qui Ludovica Sabaudiana Regis matre procurante patrimonio exutus ad Carolum defecit, ad Ticinum ceperat. Sed repulso Solymano tantum militaris gloriae gustum hausit, ut caetera fere bella per se gesserit, post Carolum Magnum Germanicorum Imperatorum potentissimus evaserit; & nisi praecellosos ejus conatus Franciscus interturbasset, collapsum Germanicum Imperium instaurare, Solymanum Turcam vel debellare, vel procul reprimere facile potuerit. Erat enim ingenio perspicax, consilio bonus, in bellis magnanimus, domi mansuetus ac facilis, in privato sumtu parcus, publice non il liberalis, nullis voluptatibus addictus, ut omnia diligenter & bellumunia, & consilia obiret. Tot tantisque virtutibus non nihil obstabat infirma fere semper valetudo, praesertim cum paullo aetate processisset: in consiliis pertinacia iudicij sui nimium tenax, in conservandis propagandisque suis ditionibus major nonnunquam utilitatis, quam honestatis respectus: quod vitium illi cum Ferdinando Hispano materno avo, sed & cum omnibus fere rerum potentibus commune fuit. Hunc cum Ludovico Galliarum Rege ejus nominis Undecimo non immerito conferre possumus: quem sibi imitandum proposuisse, idcircoq; Philippum Comineum, qui vitam Ludovici perscripsit, secum fere semper circumtulisse proditur: quem tamen facilitate (alter enim in multos crudelis fuit) & rerum gestarum gloria longe superavit. Ad Caroli ultimi Burgundiae reguli magnificentiam, militarisque gloriae ambitionem, atque ostentationem Franciscus magis accedebat: Sed id unum Burgundio sibi proponens nullum voluptati locum dabat; Franciscus voluptatibus immersus, vis aliquando ad bellicam laudem suspicere poterat. Cum Antonio igitur triumviro, aut Demetrio Antigoni filio potius conferatur: quamquam & hi in bellicis muneribus exsequendis diligentiores, acrioresq; traduntur.

DE ABDICATIONE IMPERII A CAROLO V. facta, ejus in Hispaniam discessu, obitu & virtutibus.

EX JAC. AUG. THUANI HIST. LIB. XVII.

JAm antea pridie Non. Mart. ingens ac lucidum sidus sinuoso flexu flammiferum crinem trahens in octavo libræ gradu per XII. dies continuos arserat; quo viso Cæsar mortem sibi portendi ratus, omnia ad profectiorem necessaria comparari jusserat; nec multo post ad Iohannem Hojam Osnabrugensem episcopum, qui Camera Spi- rensi præerat, & assessores dat literas admodum benivolas, quibus eos voluntatis suæ certiores facit, ac sub Vtilis exitum Sudeburgi arcem à se in Mattiacis ædificatam contendit, inde propediem vela in Hispaniam daturus; Sed prius ad Imperij ordines VII. Eid. VII. br. dat literas, quibus significabat Imperij negotia Ferdinando à se com- missa, & ad obedientiam ipsi in posterum præstandam eos hortaba- tur. Sed cum minime ignoraret secundum Deum penes VII. viros, à quibus in Cæsarem electus esset, eligendi, cessionis & abdicationis accipiendæ omne jus residere, idque citra eorum consensum & aucto- ritatem fieri non posse sciret, honorificam legationem ad ipsos ador- naverat, cui præesse jussi Vilelmus Nassovius Arausionis princeps, Georgius Sigismundus Seldius Augustalis vice-cancellarius, & Volf- gangus Halerus ab epistolis. Verum ii, non nisi biennio post profecti mandata peregerunt, sive quod post Caroli à Belgio discessum inter Regem (*Gallia*) ac Philippum ruptis inducijs omnium animi de belli exitu suspensi essent, sive quod interim tribus ex VII. viris mortuis novi successerant, ac proinde tempus à comitiorum celebratione a- lienum videbatur. Siquidem Fridericus Palatinus nuper decesserat, uti diximus, eique Otho Henricus successerat, Austriacis ob præte- ritorum memoriam haut satis æquus. Ioanni vero Trevirensi, Archi- episcopo ex Isemburgensium comitum familia orto paulo post de- cedenti successus fuit Joannes Lajenus: Adolfo item Coloniensi mor- tuo Antonius frater in ejus locum electus est: qui omnes nova aucto- ritate rebus domi componendis distinebantur. Igitur non exi- spectata legatorum profectiione Carolus dimisso Philippo F. & Sa-

bandiæ duce, qui eousque venerant XV. Kal. VIIIbr. Sole in librâ, Luna in piscibus versante, hora VII. paullo post Solis occasum, id enim curiose observatum est, Sudeburgo solvit, cum Helionora Franciæ, & Maria Hungariæ Reginis sororibus. In classe erant Cantabrigiæ naves XVI, Belgicæ XX. omnes militares, cum prætoria, qua ipse vehebatur, & complures holcades & Batavicæ minores, quibus in Britannico freto primum VII. armata, ad Prosenmanum VII. & rursus ad Vexim insulam aliæ VII Britannicæ omnes se adjunxerunt. Inde euro propitio profectus sine ulla nausea in Hispaniam trajiciens Laredum in Cantabria portum appulit, quo loco magna procerum opperientium, nobilitatis ac civitatum legatorum felicem reditum gratulantium turba exceptus est. Ubi terram tetigit, id Cæsariani scriptores prodidere, prostratus osculum fixit, & Salve, inquit, mihi optatissima mater; nudus ex utero matris exivi, nudus ad te, tanquam alteram matrem redeo; & quod unum possum, pro tam multis in me meritis corpusculum hoc & ossa mea dodedicoq; continuoque deabdicatione jam facta ritu solempni denuo celebranda cogitare cepit. Id autem hoc ordine peragitur. In civitatibus, quæ jus publici consilii habent, feciales duo gentilitiis regni insignibus ac vestibus induti in suggestu ad id parato stantes inter se adversi de more, alter dat alter accipit sceptrum, ensen & galeam, conceptisq; verbis prior sic inquit: Quod felix fortunatumq; sit universæ Hispaniæ ac cæteris provincijs, Carolus V. Imperator, Hispaniarum Rex legitimo jure factus sponte libentiq; animo se omni potestate abdicat, Regemq; esse jubet, ac hæredem suum instituit Philippum F. ita ut in illum omnia jura regnandi, possidendi atque in alios transferendi translata sint, ritu legeq; antiqua & eo jure translata, quo jure optimo omnia publica & privata transferri solent. Quibus dictis, & traditis quæ gestabat insignibus ille discedit, statimq; alter accepto sceptro, ense & galea populum solus alloquitur, spondetq; Regis nomine omnia facturum eum, quæ ad regni & populorum incolunitatem pertinent. Id summis acclamationibus passim per civitates celebratum & peractum est. Inde ad Finciam in valle Olivetana Regiam, ubi Carolus nepos educabatur, lectica devehctus est, ubi biduum cum puero commoratus, postquam præceptis ad gloriam & virtutem idoneis eum

infor-

informasse satis visus est, in aliam vallem in Lusitaniæ finibus summa
 cœli temperie & collium amœnitate delectabilem fontibusq; ac rivu-
 lis irriguam descendit, in qua Q. Sertorium fortissimum ducem ob
 præscriptionem Syllanam patria exsulantem refedisse fama est, atq;
 ibi suorum fraude interfectum esse. In ea nunc cœnobium est Hiero-
 nymiani sodalitij Castellæ VIII. à Placentia civitate lapide juxta Sca-
 radillum municipium montibus altissimis cinctum. Eo se Carolus
 contulit nullo satellitio stipatus præterquam XII, ministris, uno e-
 quo, quo propter imbecillitatem vehebatur, contentus.

EX EJUSDEM THUANI LIB. XXI.

Tandem morbis attenuatus XI. Kal. VIIIbr. qui dies B. Matthæo
 sacer est, decessit Carolus Philippi parens, cum Februario ante Heli-
 onora soror, quæ primum Emanueli Lusitanorum, dein Francisco
 I. Francorum regi nupsit, satis concessisset. Ante Caroli mortem
 cometa Eid. Vtilibus sub vesperam sub coma Berenices adparuit,
 cauda ad Hispaniam directâ, qui paullatim ad ortum vergens Non.
 VIIbr. evanuit. In eo principe cum virtute certavit fortuna, ut illi-
 us meritis supremum felicitatis fastigium imponeret. Neque vero
 ullum perfecti magis & ad omnem virtutem expressi Principis exem-
 plar nostra & retro seculorum memoria reperiri posse arbitror,
 quod ijs, qui ad imperium virtutis via grassantur, ad imitandum pro-
 poni queat. Nam quid ei ad summam utriusque laudem defuit, sive
 ingenium & prudentiam in consilijs spectes, sive constantiam in ad-
 versis, in prosperis moderationem, præsentiam animi in periculis,
 temperantiam, & quæ omnium in principe virtutum culmen ac cu-
 mulus est, justitiam? Vita ejus fere jam à primis pueritiæ initiis seria
 fuit, maximis negotiis & variis expeditionibus exercitata. Atque in
 ipso præcipuum pietatis studium fuisse, postquam ad Imperium eve-
 ctus est, citra adulationem dicere possumus, eoque omnia ferme, quæ
 ille pace & bello fecit, referri debere: nimirum, ut Concilium legiti-
 mum celebraretur, & per illud concordia in Ecclesia sarciretur; quod
 sive Pontificum in eo negotio non bona fide versantium ambitione,
 sive ob bella nostra toties infeliciter renovata impeditum fuit, sem-
 per ab eo postea repetitum est: ut mirari nemo debeat, illius consi-
 lia, dicta ac facta præsentis numinis auxilio usque illustrata fuisse, qui
 tam

tam sanctum propositum habuerit. Et vero qui ita se tota vita gesserit, ad pietatem & justitiam semper collimaverit, & his virtutibus suo exemplo innutritis consiliarijs subnixum imperium filio reliquerit, mirum, nisi eandem felicitatem, quam in vita expertus est, in familia tam egregijs virtutum documentis instructa propagaverit. Cautior tamen interdum Cæsar, & supra quam in illa fortuna decuit, versutior plerisq; visus est, ob idque lectione historiæ Ludovici XI. à Philippo Cominæo prudentissimo equite scriptæ delectatus fuisse perhibetur; in qua ut multa prudentiæ præcepta tradi inficias non irrim, ita plura minus ingenni atque adeo parum regii animi exempla reperiri minime negari potest. Itaque reprehenditur in Cæsare vulpinus ille per Gallias transitus, cum ad Gandensium motus componendos properaret: in quo Annæ Momorantio imposuit, qui porro à Cæsare deceptus Franciscum ludificatus est, ob idque postea domum relegatus, quamquam hoc etiam suas excusationes habet. Sed objicitur præcipue Philippi Hessorum principis captivitas, qui totum quinquennium contra datam fidem cavillatorix scripturæ obtentu in artissima custodia Hispanorum ludibrio expositus fuit; quod non solum Cæsari pudendum, qui ea in re alieno potius, hoc est, Albani & Granvellani consilio usus est, quam suo, sed etiam postremo damnosum; Mauritio, quem præcipuum in constituenda per Germaniam auctoritate adiutorem habuerat, ab ipso ob id deficiente & ei tot annorum ac victoriarum fructum eripiente; quem casum mox infelix obsidio Metensis, & anno sequenti ambigua ad Rantiacum pugna subsecuta est. Verum hi veluti mortalitatis infirmæ navi in pulcra & immortalis laude digna fortuna haud adeo deformes sunt. Cum vero nulla ejus vitæ pars non summè laudabilis sit, nulla re magis animi magnitudinem ostendit, quam vitæ clausula, qua vir alios vincere ad veteris seipsum vicit, vitæque tot casibus obnoxia, jam potiorem mente agitans, antequam moreretur, renunciavit, & qui reip. vixerat, sibi ac Deo cepit vivere. Itaque toto biennio, quod mortem præcessit, in Hieronymianorum fratrum sodalitia, monitore usus Constantino quodam, qui ei à sacris confessionibus erat, præcipue B. Bernardi nostratis lectione se solebatur, & toto pectore in Deum revolutus sic ratio cinabatur; se quidem indignum esse, qui propriis

meritis

meritis regnum cœlorum obtineret, sed Dominum Deum suum, qui illud duplici jure obtineat, & patris hæreditate & passionis merito, altero contentum esse alterum sibi donare, ex cujus dono illud sibi merito vendicet, hacque fiducia fretus minime confundatur: neque enim oleum misericordiæ nisi in vase fiducia poni: hanc hominis fiduciam esse à se deficientis & innitentis domino suo: alioqui propriis meritis fidere, non fidei sed perfidiæ esse: peccata remitti per Dei indulgentiam, ideoque credere nos debere, peccata deleri non posse, nisi ab eo cui soli peccavimus, & in quem peccatum non cadit, per quem solum nobis peccata condonantur. Ita cum sensim ad lentam tabem febris acuta accessisset, imaginem Christi cruci ad fixi idem idem in oculis, ulnis, ore & tota mente complexus, in eo solo se omnem salutis suæ spem collocare declaravit, sumtoque viatico, in mane, inquit, dulcissime Servator, ut ego in te maneam; in quæ verba deficiens animam gloriosissima hæc vita defunctam! Deo, qui dederat illam, reddidit, cum vixisset annos LVIII, mensis VI, dies XXV; regna hæreditaria annos XL, Imperium XXXVI tenuisset. Ante decennium cum Augustæ Vindelicorum esset, post Germaniæ Principes in ordinem veluti coactos, jam tum mortalitatis memor testamentum condiderat, quo filium absentem hortabatur ad capeffendum imperium, pietatis ante omnia studium ei commendans; & cum ad dissidia religionis componenda nullum aliud remedium idoneum post cuncta alia tentata reperire potuerit, quam Concilii celebrationem, præcipiebat, ut si quid ipsi humanitus contingeret, daret operam cum Ferdinando Cæsare aliisque Christianis principibus, ut tam laudabile à se inchoatum opus ad Dei gloriam feliciter perageretur. Pacem colendam à Deo tantopere hominibus commendatam, neve in bellum nisi ægre & justissimas ob causas ac coactus consentiret, filium monebat. Tum studiosè præcepta tradebat, quomodo se gere-re deberet cum Romanorum Rege ac filiis ejus, cum Imperij ceteris principibus, cum Germanis denique & Helvetiorum pagis, cum Sereniss. Venetorum rep. cum Florentiæ, Ferrariæ ac Mantuæ ducibus, cum Genuensium & Senensium rep. cum Franciæ rege, ac denique cum Pontificibus ob Castellæ pragmaticam, & controversa regni

L

Neapo-

Neapolitani ac Siciliae jura infestis aut suspectis; quorum ad mores non respiciendum, sed ad S. S. reverentiam obsequium spectandum agebat, multa de Paulo III. questus, cujus bonam fidem in Concilij celebratione procuranda requirebat. Tum praecipiebat quid in causa ducis Sabaudiae ejusque filij facere cum deceat, ut in antiquam ditionum suarum possessionem uterque restituatur; cum Anglis foedus servandum & cum Scotis colendam amicitiam; cum Daniae rege nihil propter veteres cum decessore injurias expostulandum. Indias per proreges viros probos & ab omni avaritia & rapacitate alienos, quo à principe suo remotiores, eo majore sollicitudine regendas & administrandas. Dein de filiarum matrimonio agebat, ipsique Philippo uxorem ducendam suadebat, aut regis Franciae filiam, aut Labretanae familiae heredem virginem firma valetudine, egregia indole, ad virtutem natam ac liberali ingenio praeditam, haec enim elogia ei tribuebat, ea lege, ut de jure suo conveniret. Nam id unum cogitabat prudentissimus princeps, ut simul de injuriosa regni Navarrae occupatione Labretanis satisfaceret, & eam Hispaniae portionem ceteris regnis indissolubili conjunctione adjungeret; itaque Joannam in potestate habere cum bona patris Henrici gratia cupiebat. Postea morti proximus codicillum fecit in testamento Philippi F. repetitum, quo praefatus putare se non nisi justas ob causas Navarrae à Ferdinando Arragonio avo in potestatem redactam; nihilominus ut ijs, quibus ademta erat de ea satisfaceret, Philippum rogabat; ijs tamen conditionibus, quae sive jam tunc eo consilio adpositae, sive postea subtilius, quam bona fides patiebatur, interpretatione detortae in causa fuerunt, ut justam de illius regni recuperatione spem non solum à regibus nostris, sed & ijs, quorum magis intererat, conceptam Hispani haecenus ludificati sint.

F I N I S.

IMPE.

IMPERATORUM AUSTRIACORUM
A FRIDERICO III. IMP.

ET
REGVM EX EADEM FAMILIA HISPANORVM
Series,

FRIDERICUS III. Austriacus, natus 1415.
Imp. factus 1440. ob. 1493.

MAXIMILIANUS I. natus 1459. Rex Rom. electus 1486.
Imp. 1493. ob. 1519.

PHILIPPUS R. Hisp. n. 1478. ob. 1506.

CAROLUS V. nat. 1500.
Imp. 1519. ob. 1558.

FERDINANDUS I. nat. 1503.
elect. R. Rom. 1531. Imp.
1558. ob. 1564.

PHILIPPUS II. R. Hisp.
n. 1527. o. 1598.

MAXIMILIA. FERDINAN- CAROLUS
NUS II. n. 1527. dus Archidux Archid. Austr.
Imp. 1564. ob. 1576. Austr.

PHILIPPUS III. R.
Hisp. n. 1578. o. 1621.

RUDOLPHUS II.
n. 1552. Imp. post
patrem. o. 1612.

MATTHIAS
n. 1577. Imp. post
fratrem. o. 1619.

FERDINANDUS II.
nat. 1578. Imp. 1619.
ob. 1637.

PHILIPPUS IV. Domini-
cus Victor, n. 1605.

FERDINAND. III. LEOPOLDUS
Ernestus. n. 1608. el.
R. R. 1636. Imp. post
patrem o. 1657.

VVILHELMUS,
Episc. Patav. Ar-
gent. &c.

FERDINANDUS IV. LEOPOLDUS I.
Franciscus n. 1633. el. R. R.
1653. ob. 1654.

IGNATIUS n. 1640.
Imp. 1658.



QX 2046

Faint, mostly illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. Some words like "Petrus" and "Rudolphus" are faintly visible.

QX

me




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



o continentur:

ne & coronatione Caroli V. Imp. Hist. Georgij Sabinii edita.

cerpta ex

Histor. l. XIII.

de rebus gestis Gallor. l. V.

l. XIII, ep. 4.

Histor. l. I.

Anglic. Hist. l. XXVII.

ctorum Rescriptum datum Legato Rom.

tr. Mandatum procuratorium super sus
præstanda.

ta seu Articuli obligationis præstandæ
us Francofurti in electione & Aquis-

a post impositam sibi coronam Regiana

risci Gall. R. ex Franc. Belcarij Com-
VI.

o V. facta, ejus in Hispaniam discessu
Tac. Aug. Thuani Hist. l. XVI. & XXI.

iderico III. Imp. & Regum ex eadem
es.

